



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

Hvmilitas Fvndamentvm Domus Sapientiae. seu, AEdificij Spiritualis. Qui se humiliat, exaltabitur. Lucae XIV, II. Super Maria fundavit eam. Psal. XXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

neminem justorum regnum cælorum sine fide obtinuisse: nam, *Sine fide impossibile est placere DEO.* Memineritis semper, salutis humanæ initium esse Fidem, at confirmationem esse Caritatem. (a) Fidem sine caritate posse quidem esse, sed non prodesse. Quid proderit, Fratres mei, si Fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? (b) numquid poterit Fides salvare illum? Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, (c) caritatem aut non habuero NIHIL sum.

(a) S. Aug. 15. de Trinit. cap. 18. (b) Jacobi 2. 14. (c) 1. Corinth. 13. 2.




HUMILITAS FUNDAMENTUM DOMVS SAPIENTIÆ

seu

ÆDIFICII SPIRITVALIS

Qui se humiliat exaltabitur: Lucæ XIV. II.

Super Maria fundavit eam. Psal. XXIII. 2.



S E R M O VII.

HUMILITAS

*An & Quomodo, secundum regulas Architectonica, censeri possit
Fundamentum Ædificii Spiritualis?*

ARTI.

ARTICULVS I.

*Pro Humilitate, tanquam ædificii Spiritualis Fundamento
Doctorum Ecclesie Auctoritas.*

Taxioma celebratur à vitæ spiritualis Magi-
stris, Humilitatem esse virtutum fundamen-
tum. Quod si verum, dicit quispiam, & nega-
ri non posse videtur, ruunt, quæ hactenus de
Ædificii Spiritualis Fundamento disseruimus. Siquidem
demonstrare conati fuimus, Fundamentum stabile, cui
illa Divinitatis fabrica inædificari debeat, esse Fidem, à
qua diversissima virtus, tam substantiâ, quàm objecto,
immò & subiecto est Humilitas. Verùm utrumque bel-
le convenire, si aures animumque iis, quæ jam tractare
aggredimur accommodaveritis, efficiam, spero, ut ipsi
met mecum pronuncietis. Imprimis autem negari non
potest, Humilitatem in Ædificio virtutum Fundamen-
tum rectè nuncupari. Hoc enim elogio Humilitatem
passim extollunt gravissimi doctissimi que Patres-Sancti.
Cyprianus Sermone de Nativitate humilis Christi: *Fun-
damentum*, inquit, sanctitatis, *semper fuit Humilitas: nec in
caelo stare potuit superba sublimitas. Hanc primam gratiam in-
grediens mundum noster Parvulus attulit: & à cunabulis nos sibi
conformes fieri volens, teneri voluit in vita, quod exhibuit in per-
sonâ.* S. Chrysostomus fusius & planè architectonicè,
homilia xxxv. in Gen. *Vbq; i modum servemus, ait, & bonis
operibus nostris Humilitatem, quasi Fundamentum substru-
amus; ut securè virtutes superextruere possimus. Virtus enim non
est, nisi conjunctam habeat Humilitatem. Qui hoc Funda-
mentum rectè jecerit, poterit, in quantam voluerit altitudinem,
structuram excitare.* Deinde: alia imagine ex Architectura

desumpta firmitatem illius declarans. *Hac est, inquit, inexpugnabilis Turris: hac omne continet edificium, non sinens sum vel à ventorum violentia, vel ab impetu imbrum, vel à spirituum vi deici; sed omnibus insidiis inaccessum, facit, & invictum, quasi ex adamante constructum esset, magnaeque nobis divina largitatis retributiones adfert.* Eiusdem fundamenti stabilitatem eleganter dilaudat commentario in Acta Apostolica, & hunc in modum scribit: *Nil humilitate potentius. Fortior est petra, solidior adamante: & maiorem securitatem nos collocat, quam queant vel turres, vel urbes, vel muri; omnibusq; Diaboli machinantis sublimior facta, contingere volentibus insuperabiles facit.* Doctorem suum sequitur Joannes Cassianus collat. xv. cap. 7. *Humilitatem vocat omnium magistram virtutum, additque: ipsa est caelestis aedificii Fundamentum firmissimum: ipsa est domus proprium atque magnificum Salvatoris. Ista enim universa miracula, quae Christus operatus est, sine periculo elationis, exerceat.* Idem libro xii. *Institur. monast. Nullo modo poterit in anima nostra virtutum Structura consurgere, nisi prius iacta fuerint verae Humilitatis in corde nostro fundamenta, quae firmissimè collocata, perfectionis, & caritatis culmen valeant sustinere.*

NEC in scholâ solùm Chrysoctomi Constantinopolitana, idolim usurpabatur, sed in Africana etiam. Nam praeter Cyprianum, quem antea laudabam, celeberrimum est illud Augustini lib. 1. de verbis Domini Ser. 1. quod manifestè Architectonicam sacram sapit: *Magnus esse vis: à minimo incipe: cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de Fundamento prius cogita, Humilitatis. Et quantam quisque vult & disponit superimponere molem aedificii, quanto erit majus Aedificium, tanto altius fodit Fundamentum. Et Fabrica quidem cum construitur, in superna consurgit: qui autem fodit Fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humili-*

tionem erigitur. Quod est fastigium construenda Fabricæ, quam molimur: quo perventurum est cacumen Ædificiî: citò, dico, usque ad conspectum DEI. Videtis quam excelsum est: quanta res est, conspiciere DEUM - Et post multa ejus generis. Para te videre sublimiter, à quo visus es misericorditer. Sed quia magnum fastigium est, de Fundamento cogita. Quo, inquis, fundamento? Disce ab illo, quoniam mitis est, & humilis corde. Hoc in te fode. Fundamentum HUMILITATIS. & perveniens ad fastigium CARITATIS.

Non minus clarè S. Bernardus lib. V. de consideratione ad Eugenium Papam, circa finem, Bonum quoddam, & stabile Fundamentum est Humilitas. Et epistola LXXXVII. ad Ogerium Canonicum Regularem: Humilitas, ad quam usque ducit humilitatio, totius est Fabrica Spiritualis Fundamentum. Alibi, Humilitatem vocat Fundum, Lib. 2. ad Eugen. Pretiosus fundus est: bonus fundus Humilitas, in qua omne adificium spirituale constructum, crescit in templum sanctum in Domino, Denique in cantica sermone xxxvi. Nisi super Humilitatis stabili Fundamento, spirituale adificium stare minimè non potest. Ob hanc causam, Humilitatem virtutum primam veterum, nonnulli constituunt. Ita S. Hieronymus epistola ad Eustochium de Paula matre: Quæ prima Christianorum virtus est, tanta se Humilitate dejecit, ut qui eam non vidisset (fortè non novisset) ipsam esse non crederet, sed ancillarum ultimam. S. Ambrosius autem in Psalm. cxviii. Sermone 20. Humilitas, ait, virtutum omnium caput est, nimirum, initium. Radicem appellat S. Gregorius, qui libro xxviii. Moral. cap. ultimo ita scribit: Quia origo virtutis Humilitas est, illa in vobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, Humilitate perdurat. A qua nimirum si abscinditur, arescit: quia vivificantem se in intimis humoribus caritatis perdit. Et sanè, cælestis Magister doctrinam

Evan-

Evangelicam ab *Humilitate* est exorsus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Matth. v. 3. Quos, ut interpretatur S. Augustinus, libro de Virginitate cap. xxxii. *sine ulla controversia, Humiles intelligimus.*

ARTICULUS II.

HUMILITAS FUNDAMENTUM

indirectè, per accidens, dispositivè.

EX haecenus recensitis *Humilitatis* encomiis, in quibus nominatur caput, origo, radix, initium, ac prima virtutum ideoque Fundamētum *Ædificii* Spirituales, infurgit difficultas illa minimè dissimulanda, quia ad *Architecturam* spectans. Cùm domus unius sit unicum fundamentum. Quod, præter superius dicta, ex eo liquet, quoniam fundamentum est prima pars: non potest autem nisi unumquid esse primum: nam primum est, ante quod nihil est. Jam verò, constat etiam, *Fidem* esse fabricæ de quâ agimus, siue illa dicatur *Domus Sapientia*, siue *Ædificium* Spirituale virtutum *Fundamentum* stabile. Excluditur igitur à fundamenti denominatione, & ratione *Humilitas*, virtus à *Fide* genere toto diuersa. Agnoui hanc difficultatem, nec dissimulavit S. Thomas, duobus omninò locis in *Secunda Secundæ*. Primo quidem quæstione iv. articulo vii. vbi disputat, *Utrum Fides sit prima inter virtutes?* Et docet: *Fidem* per se loquendo, inter omnes virtutes primam esse. Tamen per accidens aliquam *fide* esse priorem; sicut removens prohibens: in quantum nimirum, per functionem alterius virtutis removentur impedimenta credendi. Sic

autem virtutem Humilitatis esse priorem Fide: quia Humilitas removet Superbiam, per quam intellectus recusat se submittere veritati Fidei. Iterum, quæst. CLXI, art. v. vbi quærit: *Vtrum Humilitas sit potissima Virtutum?* ita arguit: Augustini iudicio, Humilitas est virtutum omnium fundamentum. Ergo est potior aliis virtutibus. Respondet autem. Sicut ordinata congregatio virtutum, per quandam similitudinem *Ædificio* comparatur, ita etiam illud, quod est primum in acquisitione virtutum Fundamento assimilatur, quia primum est, quod in *ædificio* jacitur. Virtutes autem veræ infunduntur à DEO. Vnde primum in acquisitione Virtutum, potest accipi dupliciter. Vno modo, per modum *removentis prohibens*. Et sic Humilitas primum locum tenet: in quantum scilicet expellit Superbiam, cui DEUS resistit: & præbet hominem subditum, & patulum ad suscipiendum influxum divinæ gratiæ, in quantum evacuat inflationem superbiæ. Vnde dicitur Jacobi IV. quod DEUS *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Et secundum hoc, Humilitas dicitur spiritualis *ædificii Fundamentum*. Alio modo est aliquid in virtutibus primum, *directè*: per quod scilicet rectà ad DEUM acceditur. Primus autem accessus ad DEUM est per Fidem, secundum illud Hebræorum XI. *Accedentem ad Deum oportet credere*. Et secundum hoc Fides ponitur Fundamentum nobiliori modo.

Ex his colligunt commentatores Scholastici; sensu S. Thomæ, quæ est Theologorum communis: Humilitatem esse Virtutum Fundamentum, non quidem *directè*, & *principaliter*: hoc enim Fidei convenit, sed *Indirectè*, ac *Dispositivè*. Et quidem *Indirectè*, quatenus removet virtutum

S. Thomas 2. 2. q. 4. art. 7. Bannez, Valentia, Aragonius, Maderus, Tanner, Lessius de Iustis, lib. 4. cap. 4. dist. 7.

tum impedimentum, quod est Superbia. *Dispositiue* verò, quatenus facit hominem Deo subditum, & paratum ad eius gratiæ influxum recipiendum, qui est virtutum semen, origo, conservatio. Vtrumque insinuat Jacobus Apostolus in epistola sua cap. iv. celebri illa sententiola, qua S. Thomas ad id probandum utitur: *Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam.* Si Deus superbis resistit, non igitur dat iis gratiam: impedit ergo superbia influxum divinæ gratiæ, & consequenter virtutum studium, ac ædificationem spiritualem, quæ sine divina gratia, neque inchoatur, neque perficitur. Humilitas autem influxum illum attrahit, excipit, colligit. Eleganter S. Augustinus serm. xxvii. de Verb. D. *Confluit aqua (gratiæ) ad humilitatem vallis, denatat de tumoribus collis.* Eiusdem est ista monitio. Sermon. clxxv. de temp. *Vident, magnum miraculum. Altus est Deus: erigis te, & fugit à te: humilia te & descendit ad te. Quare hoc? quia excelsus est Dominus, & humilia respicit, ut attollat: alta, id est, superba, de longe cognoscit, ut deprimat.* Ad hæc, Humilitas quemadmodum facit, ut homo vilipendat se, ita excitat in illo terrenorum despicientiam, cui contraria est æstimatio. Atqui æstimatio rerum terrenarum impedit maximè ædificationem spiritualem. Quocirca Humilitas tollit impedimentum ædificationis illius, & parat locum ædificio erigendo idoneum: ac proinde rectè dicitur dispositivè **FUNDAMENTVM**, Sed hoc ex arcanis Architecturæ est explicandum accuratius.

ARTICVLVS III.

ARTIFICIVM ARCHITECTONICVM
adjaciendum Fundamentum, firmandumq; in aqua.

OBVERVO imprimis ex Vitruvio, ut ædificium ali-
 quod extruatur, in solo considerandam soliditatè,
 quam,

quam, cum non sit facile invenire in superficie, fodiendum est, donec perveniatur ad solidum. Sin autem, inquit, solidum non inuenietur, sed locus erit congestitius ad imum, aut paluster, tunc is locus fodiatur, exinaniaturque, & palis alneis, aut oleagnetis, aut robusteis ustulatis configatur, subliæq; machinis adigantur quàm creberrimæ carbonibusq; expleantur intervalla palorum, & tunc structuris solidissimis fundamenta impleantur. Hæc Magister Architecturæ lib. tertio, capite 3. Idè præceptū habet libro v. cap. 12. quod est de structuris in aquâ faciendis: & sic præscribit: *Structura quæ in aquâ sunt futura, videntur sic faciendæ; uti portetur pulvis à regionibus, quæ sunt à Cumis continuatæ, ad promontorium Minervæ (intelligit pulverem Puteolanum, (a) qui solidatur aquis. (b) is pulvis calce misceatur in proportione dupla, deinde, aqua immitatur, densetur, & omnis humor haustoriis instrumentis extrahatur, & cæmentis pulvereum illud solum muniatur.* Addit. In quibus pulvis non nascitur, saxis ex ulva palustri utendum: illos aquis injiciendos: tum cocleis, rotis, & tympanis aquam exhauriendam, locumq; siccandum, ut fundamenti sit capax. Si terrenus sit locus, usque ad solidum exinaniatur siccetur, & tunc structura ex cæmentis, calce, & arena compleatur. Si mollis sit locus, palis ustulatis alneis vel oleagineis, aut robusteis configatur, & carbonibus compleatur, deinde quadrato saxo murus ducatur.

Ita fieri debere in locis aquosis, & multo magis in mari, ac ejus vicinitate discimus è duobus celeberrimis orbis terrarum emporiis, Amstelodami & Venetiis. Amstelodamum namque Belgicæ totius ocellus, & cella penaria,

Structura quomodo in aqua fiant Vitruv. lib. v. xii. cap. Barbarus Hieronym. Catanetus, de re militari. Palladius lib. 1. cap. 8. Leo Alber. lib. 4. cap. 3. Philander in Vitruv. De Pulvere Puteolano Vitruvius lib. 2. cap. 6. & Sidonius Apollinaris in Panegyrico, Alnum in palustribus locis intra fundamenta adificiorum palationibus crebrò fixam, permanere immortalem ad aternitatem tradit Vitruv. lib. 2. cap. 9. Hadrianus Junius in Batavia.

penaria, ac horreum in intimis finibus Batavici faucibus positum, cum in paludoso, minimeque firmo sit conditum loco, in eo adactis per fistucas trabibus, arboribusque ingentibus, aut substrata materia per sublicas connexa, ædificiorum fundamenta jaciuntur incredibili impendio: adeò, ut putentur fundamentorum impensæ subinde reliquam structuram æquare, ne dicam excedere. Idem contingit in Venetorum ædificiis. Hæc si per analogiam haud ineptam ad spiritualis ædificii foundationem transferantur, facile videbimus, quomodo HUMILITAS dicatur bene Fundamentum, sed indirectè, ac dispositivè, removendo impedimenta occurrentia.

ARTICULUS IV.

HUMILITAS

Imum aperit, & ad recipiendum Fundamentum, aptat solum.

AD jaciendum Fundamentum fossione est opus, ut ad imum, ubi soliditas est, perveniatur. Imum spectat Humilitas, imum pertentat demissio: in imo subsedit, & ibi commoratur: imo autem super imponitur Fides, quæ primaria est, & per se Fundamentum. *Humilitas*, inquit B. Isidorus, (a) quod approbat S. Thomas, (b) dicitur quasi humi acclivis, id est, imis inherens. Et Latini quidem, Humilis idem est, quod depressus, & figuratè contemptus, vilis, demissus, obscurus, tenuis, ignobilis: & alicubi, *animalia humiliata* vocat Cicero, lib. 2. de natura Deor. in terram dejecta. Itaque, Humilitas infra se omnia locat, ut imum inveniat, quò tendit, non nisi hoc

cen-

(a) lib. 10 Etymol. cap. 8. (b) 2. 2. q. 161. art. 1. ad 1.

Centro quietura. Et sanè, Humilitas ab humo originationem sumit, quia per illam ad imum, & veluti ad humum usque deprimimur. Hoc autem bifariam potest contingere. *Primò*, si contra voluntatem quispiam deprimatur: atque ita Humilitas est pœna; sicque dictum accipio: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Matthæi XXIII. *Secundò*, si quis suâ sponte, ex consideratione suorum, sive criminum, sive defectuum, sive imperfectionum, aut ob corporis animique imbecillitates se deprimat: quo pacto est virtus, quæ à diversis auctoribus varie describitur. A S. Thoma, (a) *Humilitas est virtus, quâ quis defectum suum considerans, se in infimis secundum modum suum continet.* Iterum ibid. ad 2. *laudabilis sui ad ima dejectio* A S. Bernardo, (b) *Humilitas est virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi ipse vilescit:* A D. Basilio, (c) *Humilitas est depositio vani sensus, qui ab elatione vana de se existimationis proficiscitur.* Item (d) *Humilitas est, cum quis ceteros omnes se ipso superiores existimat.* A Joanne Rusbrochio Doctore mystico, (e) *Humilitas est demissio: id est, interna quadam, & profunda cordis & animi coram celsissima DEI Majestate inclinatio, & submissio.* A Leonardo Lessio, Doctore Scholastico: (f) *Est virtus inclinans nos ad nostram vilitatem signis, vel factis profertendam.*

ITAQUE Humilis, primò se DEO perfecte subicit, velut infimum mancipium, ut testa figulo, ut opus factori, ut materia prima efficienti, paratus, ut se disponat, pro suo beneplacito in omnibus, indifferens ad paupertatem & divitias; morbum & sanitatem; infamiam & gloriam; mortem & vitam. Quo spectat illa Petri Apostoli monitio: *Humiliamini sub potenti manu DEI ut vos exaltet in tempore visitationis,* Epist. I. 6. Humilis frequenter

(a) 22. q. 161. art. 1. (b) libel. de gradibus humil. (c) cap. 2. Iſai, (d) Regul. brevior. q. 198. (e) lib. de præcip. virtu. (f) lib. 4. de just. & jure, cap. 4. dup. 7.

ter ingeminat illud magni Regis (a) *Nonne DEO subiecta erit anima mea, ab ipso enim salutare meum? Verumtamen DEO subiecta erit anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.* Ejusdem est illud monitum (b) *Subditus esto Domino & ora eum.* Ad idem hortatur Jacobus Apostolus, in Epistola sua Canonica præmissa causa, quæ merito quemlibet movere debet: *DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: subditi ergo estote DEO.* Hanc esse Humilitatis conditionem agnovit S. Ambrosius, qui libro x. epist. 34. In eo, inquit, proprietatem ipsius (Humillitatis) definimus, quod per omnia DEO subditur. Idem prolixius exponit S. Bernardus, Sermone de subjectione nostræ voluntatis: *Totius Humilitatis summa, ait, in eo videtur consistere, si voluntas nostra divina, ut dignum est, subiecta sit voluntati, sicut ait Propheta: Nonne DEO subiecta erit anima mea? Scio quidem creaturam omnem, velit, nolit subiectam esse Creatori, sed à creatura rationali voluntaria subiectio quaritur: ut voluntariè sacrificet Domino & confiteatur nomini ejus: non quia terribile & sanctum, non quia Omnipotens, sed quia bonum est. Confitemini Domino quoniam bonus: Dicat nunc Israël, quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.* (c)

JAM verò, nemo Fundamentum Fidei collocare potest in animâ, nisi per Humilitatem ad hoc Imum pervenerit. Nullus enim credit, ut oportet, nisi intellectum suum auctoritati divinæ subiciat: nullus virtuti dat operam, nisi mentem suam divinis præceptis, & voluntati DEI subdat. *Quomodo vos potestis credere,* inquit Pharisæis Christus Dominus, *qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo DEO est non queritis?* Joannes V. Ubi notat Maldonatus, hoc hodie multis hæreticis accidere, è quibus multi vanæ gloriæ abrepti cupiditate & superbia, non solum ad Ecclesiam, quam malo consilio se de-

(a) Psal. LXI. 2. (b) Psal. xxxvi. 7. (c) Psal. cxvii.

fervisse manifeste deprehendunt, redire nolunt, sed crudelissimi etiam in catholicos sunt, lacerant convitiis Christi Vicarium, vident sacra, simplicitatem & fidem nostram stultitiam appellant, ut satis idonei ministri videantur. Fundamento ergo fidei substernenda est Humilitas, ac proinde hæc non immeritò Fundamenti nomen parti cipat.

PORRO, quoniam, qui infra DEUM consistit, nondum ad infimum locum pervenit: nam infra DEUM sunt Seraphini, Cherubini, aliæque Mentis Beatæ, quibus cum homo minimè potest comparari: ex Architectonicæ autem Regulâ, quo majus est ædificium, eo altius est fodiendum fundamentum: maximum verò, sive sublimissimum ædificium, est virtutum fabrica, quippe tantæ celsitudinis, ut supra illam altior esse nequeat, cum ejus culmen, ut rectè docuit Augustinus, sit conspectus DEI; hinc Architectus Christianus, haud contentus, quod sit infra DEUM, per Humilitatem tendit etiam infra omnes homines, ita, ut nulli hominum se anteponat. Verè humilis non solum majores reverentiæ signis prævenit, sed & æquales ac inferiores honore dignatur, & iis, quantum permittit muneris ratio, se subicit, ut in imo consistat. Ita fodiebatur, ut ad solidum & imum Humilitatis perveniret S. Chrysostomus, atque ad idem cooperarios suos hortabatur, sic scribens homil. 33 in Genes. *Nos non eis tantum, qui ætate nobis sunt majores, vel etiam æquales, honorem exhibemus: non est enim Humilitas, quod facere debet necessitate: vera autem est, quando cedimus iis, qui nobis videntur esse minores, & eos veneramur, qui nobis videntur esse magis indigni ut honorentur. Quod si rectè sapimus, nullos etiam nobis esse minores arbitrabimur, sed nos ab omnibus excellentiâ vinciti dicemus. Et hoc dico non de nobis, qui innumeris immergi sumus peccatis; sed etiam, si quis sibi plurimorum benè gestorum conscius*

Secunda Pars:

X

fit

fit nisi apud se sentiat, quod omnium est postremus, nulla ei utilitas futura est, ex omnibus suis bonis operibus. Similis est præceptio S. Ambrosii epist. LXXXIV. ad Demetriadem: Prima humilitatis ratio in communis vite versatur officiis, cum secundum doctrinam Apostolicam, invicem se homines honore præveniunt: & alter alterum superiorem existimantes, amant servire subjecti, & nesciunt tumere prælati: cum & pauper divitem non sibi dubitat anteferre, & dives pauperem sibi gaudeat æquare. Cum & sublimes non superbiunt de claritate prosapia, & pauperes non extolluntur de communionem naturæ. Cum denique non plus tribuitur magnis opibus, quàm bonis moribus: nec major ducitur phalarata iniquorum potentia, quàm rectorum in honora justitia. In eandem sententiã graviter S. Bernard. sermone XXXVII. in Cantica Cantico. Non est periculum quantumcumque te humilies, quantumcumque reputes te minorem, quàm sis, hoc est, quam te veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumq; periculum, si vel modicè plus vero te extollas: si vel unividelicet in cogitatione tua te præferas: quem forte parem tibi veritas judicat, aut etiam superiorem. Quamobrem nolite hominem comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, O Homo, si unus ille, quem forte omnium vilissimum, atque miserrimum reputas, sit melior te, mutatione dextera excelsi, in se quidem futurus sit, in DEO verò jam sit. Et propterea Dominus, non mediocrem, non vel penultimum, non ipsam saltem inter novissimos eligere locum nos voluit, sed recumbe, inquit in novissimo loco.

ITA QUÆ, vera Humilitas instigat suum alumnum, ut conferendo se aliis, censeat se omnibus vilior, ac deteriore. Quod citra veritatis jacturam fieri potest, si consideret se secundum ea, quæ de seipso habet, alios verò secundum ea, quæ ipsi habent, & sunt à DEO. Hoc est ingenium Humilitatis: in se intueri sua mala, in aliis ipsorum bona. Sicut è contrario Superbiæ indoles est,

inten-

HUMILITAS FVNDAMENTVM. 333

intendere in sua bona, & in aliorum mala. Quisque autem secundum sua est deterior, quàm sint alii secundum ea, quæ sunt DEI.

ARTICVLVS V.

HVMILITAS

Quomodo incitare possit Humilem, ut sine falsitate, quamvis sit summus, se omnibus inferiorem aestimet, dicat, profiteatur.

EX haftenus dictis satisfit Quæsitio, quod fortasse quempiam torquere posset: Quomodo absque mendacio sive dicti sive facti, & sine conscientia remorsu, quilibet, ex Humilitatis instinctu, queat se omnibus inferiorem existimare, atque adeò dicere, & debeat interdum talem sese exhibere? Siquidem non rarò contingit, quempiam multis partibus esse ejusdem vel alterius nominibus superiorem. Et augetur difficultas illo S. Augustini dicto libro de natura & gratia cap. xxix. Humilitatem collocandam esse in parte veritatis, non in parte falsitatis. Sed aliqui sunt, inquit S. Thomas, in supremo statu, qui, si se inferioribus subjicerent, absque falsitate hoc fieri non posset. Respondet autem S. Doctor, 22. q. 161. art. 1. In homine posse duo considerari: scilicet, id, quod est Dei, & id quod est hominis: hominis autem est, quicquid pertinet ad defectum; sed Dei est, quicquid pertinet ad salutem, & perfectionem, secundum illud Osee xii. *Perditio tua Israël ex te est: ex me tantum auxilium tuum.* Humilitas autem proprie respicit reverentiam, qua homo DEO subjicitur; & adeò quilibet homo secundum id, quod suum est, de-

» bet se cuilibet proximo subijcere, quantum ad id,
 » quod est DEI in proximo. Non autem id requirit Hu-
 » militas, ut aliquis id, quod est Dei in ipso se, subijciat ei,
 » quod apparet esse Dei in altero. Itaque si præferamus
 » id quod est Dei in proximo, ei, quod est proprium in
 » nobis, non incurrimus falsitatem. Vnde super illud
 ad Philippenfes secundo: *In humilitate superiores sibi invicem*
arbitrantes, ait glossa: Non hoc ita debemus aestimare, ut nos aesti-
mare fingamus; sed verè aestimemus posse esse aliquid occultum in
alio quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo vidi-
mur superiores esse non sit occultum.

HAVSERAT fortasse illam suam doctrinam S. Tho-
 mas ex B. Anselmo, qui in libr. similit. cap. cix. cujus est
 inscriptio: *Quomodo unusquisque se minorem omnibus patet*
 » hunc in modum ratiocinatur. Nonnunquam ideò es-
 » tollimur, quia nos aliis non rectè comparamus. Vi-
 » dendum igitur quomodo sit comparatio instituenda.
 » Si enim nos aliis volumus comparare, ea tantum de-
 » bemus considerare, quæ à nobis sunt in nobis, non à
 » DEO, quasi præstita nobis. Sic namque agit, qui de bo-
 » nis à Deo sibi præstitis super alium extollitur, sicut qui
 » vestibus indutus gloriatur. Non ergo hæc aliorum
 » bonis comparare debemus; sed mala tantum nostra,
 » quæ à nobis sunt, & in nobis habemus. Quod si fecerit
 » mus, mala videlicet nostra bonis aliorum ut confere-
 » mus, non inferiores esse ceteris omnibus nobis ipsi
 » videbimur. Quod cōtra, quia Superbi faciunt, etiamsi
 » sint omnibus deteriores, cunctis tamen judicant se
 » esse meliores. Sua enim bona tantum attendentes
 » aliorum malis comparant, quorum mala nullatenus
 » considerare deberent.

ITA QUE docent Theologi, tribus modis posse quem-
 piam alios se superiores judicare absque ullâ falsitate.

Primò, comparando id quod ipse naturaliter habet ex se cum eo, quod alter habet ex peculiari DEI dono. *Secundò*, comparando donum ipsum minus, quod habet ex Deo, cum dono aliquo majore, quod ex Deo habet alter. *Tertid*, comparando defectum aliquem suum cum bono aliquo, quod habet alter. Faxit humilium Doctor Christus Dominus, ut quàm benè intelligimus, Domus Sapientiæ Fundamentum esse Humilitatem, tam promptè illam cordi nostro infigamus, humiliantes nosmet ipsos sub potenti manu DEI, ut nos exaltet in tempore visitationis: omnem sollicitudinem nostram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de nobis. Ipsi laus, honor & gloria in secula sempiterna. AMEN.

1. Pet. v. 6.



SERMO VIII.

HUMILITAS

*Quomodo in imo fundum solidet, ad suscipiendum, retinendumq;
Fundamentum Fidei.*

Super maria fundavit eam. Psalmo XXXIII. 2.

ARTICULUS I.

Ædificium spirituale extruitur in aqua.

DEMONSTRATVM est in superioribus, Domus Sapientiæ, sive Ædificii, quod construitur ex virtutibus in anima, Fundamentum per se, ac primarium esse primam virtutem Theologicam, quæ dicitur FIDES. Hanc tamen præcedere

X 3

dere

dere debere Virtutem aliam, quæ removeat impedimentum: nempe, Humilitatem; per quam ejicitur Superbia, quæ Fidem impedire solet. Quod illustravimus ex regulâ Architecturæ vulgari, quâ præscribitur, ut Fundamentum locetur in fundo solido. Quod si soliditas non habeatur in superficie, fodiendum esse, usque dum perveniatur ad id, quod est solidum: reperiri autem solidum tandem in imo. Hoc imprimis est officium Humilitatis, quæ palam considerationis aut notitiæ suæ traducens, per omnes ordines rerum, & hominum præcipue, se in imo seu infimo statu esse considerat, & ita sibi persuadet. Nimirum, quod sit infimus, ac minimus omnium: minimus in ordine Prælatorum, minimus in ordine Ecclesiasticorum, minimus in ordine Secularium, in ordine litteratorum, in ordine virtuosorum, in ordine Religiosorum. Quam persuasionem haberi posse, absque ulla falsitate, aut fictione probavimus penè apodicticè, firmitus quàm per ullam demonstrationem mathematicam.

JAM verò, cum ad imum fossione ventum est, sæpe aqua erumpit, aut aquis obrutum solum sese offert: quid tunc facti opus? Cum structura in aquâ facienda est, tunc pulvere locum esse condensandum docet optimus Architecturæ Magister Vitruvius, cujus verba superius adnumeravimus. Simile quid in spiritali ædificatione fieri debere omninò existimo. Dum virtutum Ædificium erigimus, in aqua ædificamus, non solum, quia Baptismi Sacramentum, omnis est justificationis & sanctificationis initiū, ita ut fundamentum fidei ponatur eadem concha, in qua mergimur, sed ob alia multa, quæ jam subnectam. AQUA in divinis eloquiis, doctrinam Christi, ab ipso & Apostolis mundo promulgata significat. Unde prædicatio Christi, Prophetarum, & Apostolorum,

lorum, *Vox aquarum multarum* dicitur, Apocalypsis 1. Deuteronomii xxxii. Orator Moyses, cum petivisset audiri: *Audite caeli, quae loquor, audiat terra verba oris mei*, sermonem suae aquae multifariam comparat. *Concrescat ut pluvia doctrina mea: fluat ut ros eloquium meum: quasi imber super herbam: & quasi stilla super gramina.* Et est sane illustris similitudo isthæc, ad prædicationem exprimendam. Si quidem ut observat Abbas Joachimus: Hugo Victorinus, Ruper. Tuitiensis in Apocalyp. & alii, quemadmodum guttæ decidentis pluviae, sono multiplici concorditer sonant, ita multiplicia Sacrae Scripturae eloquia, in quibus loquitur Christus, eandem sonant veritatis sententiam. Et, ut sonus aquarum, id est, fluviorum impetus, per prærupta loca ruentium longissimè auditur, haud secus, Christi prædicatio ad fines usque terræ penetravit. Nam *in omnem terram exiit sonus eorum*, quos misit prædicare Euangelium, & in fines orbis terræ verba eorum. Atque hæc est illa *Pluvia voluntaria*, quam DEUS segregavit hæreditati suæ, psalmo LXVII. DEINDE, Gratia divini Spiritus Aqua nuncupatur à Christo Joann. s. VII. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent* A Q V Æ - V I V Æ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Quo loco, per *flumina*, redundantem caritatem intelligunt, S. Augustinus & Beda: lætitiâ spiritualem D. Basilius & Ammonius: Doctrinam Evangelicam B. Ambrosius, (a) Gregorius, (b) Ruperus: (c) accommodatius ad sensum Christi D. ut existimant graves Interpretes, Gratia, donorumq; Spiritus Sancti abundantiam, ut D. Chrysostomus, Leontius, Origenes, (d) alii. (e) In his autem Aquis Ædificium virtutum est extruendum. At nunquam in iis poterit consistere

X - 4 stercere

(a) Lib. x. epist. 82. (b) lib. xviii. Mor. cap. 23. (c) Joann. VII
 (d) Hom. 12. in Num. (e) S. Hilari. ps. 64. S. Hier. q. 9. ad Hedibiam

stere Fundamentum Fidei, nisi ex Architecturæ præscripto, pulveris, cineris-ve aggeries iis injiciatur, quæ ipsis his aquis densari solet, ut Fundamentum firmiter sustineatur. Quod paulò clarius fufiusque explicandum est.

A R T I C U L U S II.

H U M I L I T A S

*Tanquam Pulvis & Cinis, densat, solidatq; fundum animæ
in Aquis ad suscipiendum Fundamentum Fidei.*

PULVIS & Cinis symbolum sunt, ut vilitatis, ita Humilitatis. Hinc *Pulvis & Cinis* dicitur homo, ut humana vilitas, abjectio, & humilitas significetur. *Pulvis es*, inquit Deus, & *in pulverem reverteris*. Genesis tertio. Et Iob cap. x. *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me*. Iterum. c. xxxiv. 15. *Homo in cinerem revertetur*. David quoque, Psal. III. 29. *Auferes Spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum revertentur*. Denique, Ecclesiastes cap. XII. *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Pia est ceremonia quæ ducit ad vilitatis suæ considerationem Pontificem recens electum. (a) Proficiscitur magna pompa ad Ecclesiam Lateranensem, coronam Papalem accepturus. Comitantur Cardinales, Principes, Regum Legati, concurrunt infinita hominum multitudo: acclamantur varia ad plausum: personant tubæ, concinunt musici; sed una est cantilena utilissima, quæ ex antiquissimo instituto confidenti in lapidea & stercorea sede, ut vocatur, occinitur: (b) *Suscilians de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem*. Fuit etiam mos vetus, ut qui se hu-

(a) Thomas Bosius lib. II, de Signis Eccl. cap. 10. §. 21. (b) Psal. cxii. 7.

miles alicui exhibere destinarent, pulvere & cinere, vel alterutro caput conspergerent. Et quoniam supplices, quique à Deo oratione quidpiam obtinere desiderant, maximè decet humilitas, hinc pulverem lingere, caput pulvere fœdare, procumbere in cineres dicebantur: & revera id faciebāt. Isa. XLIX. *Erunt Reges nutriti tui: & Regine Nutrices tuæ: vultu in terrâ demisso adorabunt te, & pulverē pedū tuorū lingent.* Quò spectat illud Threnorū tertio: *Ponet in pulvere os suū, & prosternetur corā Domino suo, si fortè sit spes.* Vbi Chaldæus, *Dabit in pulverē os suū, & prosternetur coram Domino suo, si fortè sit spes:* hoc est, supplicem se abiciet, & dedititi, ac humiliantis in morem ante Dominum, si vel ita, nempe, tot humilitatis significationibus, possit veniam impetrare. Aut, de se ipso demissè sentiens, & loquens, gestu quoque habituque humillimum præsentabit, si fortè vel sic Dominus respiciat afflictionem.

Hunc morem Gentilium quoque fuisse, & antiquissimum, & ab Assyriis Hebræos accepisse, aut ab his istos potius existimant eruditi. Sedisse enim, sive procubuisse inter pulveres & cineres supplicaturos Homerus (b) auctor est: apud quem Alcinoo Regi supplicaturus Vlysses procumbit in cineres:

Sic ait, & cineres inter desedit, ad ignem

Ipsè foco admotus. ---- deinde sic orat.

O Rex Alcinoë en tibi stratus supplicat hostis.

Non decet, ut lapsus jaceat sub pulvere denso

Procumbens ad eò ----

ita quoque Marium Coriolanum Volscorum Principi supplicasse scribit Dionysius Halicarnassæus. Hinc multa intelliguntur è Sacris litteris, quæ ritum istum respiciunt,

X 5

ciunt,

(a) Mos supplicantium. Aristot. in *Oeconomicis*. Apollon. 3. Argon, Plutar. de Virtut. mulier. (b) *Odyss.* 7.

ciunt, lib. 1. Regum secundo canit Anna Samuelis mater, post humiliationem gratiam consequuta: *Dominus mortificat & vivificat: deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat & subleuat. Suscit at de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem: ut sedeat cum principibus, & solium gloria teneat.* brevissimè. Humilem exaltat, & in altum elevat. Ejusdè generis est illud P salmi XLIII. *Humiliata est in pulvere anima nostra: conglutimatus est in terra venter noster.* Pulverem igitur & Humilitatis symbolum in supplicando adhibebāt Hebræi: & Pulvis statū ipsum humilitatis & miseræ significabat. Isaia xvi. *Finitus est pulvis, id est, status miseria ac humilitatis.*

PULVEREM istum Humilitatis, Fundamento Fidei supponere, & addensare oportet, si in aquis Christianæ doctrinæ, veræ religionis, & divinæ gratiæ, Virtutum Ædificiū velimus extruere. Fuit hujus artificii architectonici peritus imprimis antiquissimus Virtutū artifex, & fideiū Pater Abraham, cui cū DEUS amplissimum fundum aquis gratiæ immersum, cui ædificiū suum in-ædificaret, liberalissimè offerret, ille sciens in his aquis fundamentum non poni nisi pulvere immisso, illum prius copiosè sparsit. Hinc illæ immortalitati consecratæ voces, Genes. XVIII. *Loquar ad Dominum meum, cū sim pulvis & cinis.* Iterum. *Quia semel cœpit loqui ad Dominum meum, cū sim pulvis & cinis.* Hoc substrato pulvere, *Credidit Abraham DEO,* Gen. xv. 6. id est, fundamentum fidei jecit, & *reputatum est ei ad Iustitiam Galat. III. nimirum,* ab eo tempore, Iustitiæ, quæ virtutes omnes complectitur, altissimum palatium cœpit extruere.

AD hunc ædificandi in aquis Gratæ modum, divini Architecti magisterio erudita, hortatur suos Operarios Ecclesia, Architecturæ Christianæ peritissima. Quæ quarta ante Quadragesimam feria, quando tempus spi-

ritua-

ritualiter ædificandi maximè opportunum incipit, pul-
 verem summoperè commendat. Et quoniam non igno-
 rat, ubique aureum illum Humilitatis pulverem haud
 provenire, ipsa affatim suppeditat, dum sacerdotum
 manibus offert absque auro vel argento, pulverem be-
 nedictione sacratum, addito elogio: *Memento homo quia
 pulvis es, & in pulverem reverteris.* Porro, quando Ædifici-
 um spirituale, seu Domus Sapientiæ, quæ fundum ha-
 bet aqueum, nempe doctrinam Christi, & Divini Spi-
 ritus gratiam, Humilitate vera soliditatem adquisivit,
 spes est fore eam maximè diuturnam, immò, æternam.
 Tales Domus sunt Religiosorum familiæ, quas Spiritus
 Sapientiæ inchoavit, eduxit, perfecit, vera illarum Ar-
 chitrectrix. Quam ut suâ peculiariter agnoscit, inter ce-
 teras, SOCIETAS JESU, cujus Fundator IGNATIVS,
 tam voluit eam esse Humilem, ut jusserit, vel ipso
 nomine extremam humilitatem profiteri, nominans
 semper MINIMAM. A quâ voce orditur Examen candi-
 datorum, sic præscribens. *Hæc MINIMA CONGREGA-
 TIO, quæ à Sede Apostolica, primâ sui institutione, SOCIETAS
 Jesu nominata est.* Quo factum, ut eo nixa fundamento,
 per unam annorum centuriam, quam Seculum voca-
 mus, steterit immutata, plurimis licet impetita, adver-
 sitatum undique ingruentium procellis ac tempestatibus
 Societas. Quamobrem ad gratitudinem suam demon-
 strandam DEO Sapientiæ Domino, Fundatori primo ac
 Conservatori suo, statuit per orbem universum peculia-
 ri devotione, cultu, officiis divinis, alijsque gratitudinis
 significationibus totum annum insequentem transige-
 re, tanquam annum natiuitatis suæ centesimum, sive Se-
 cularem. Cujus exempla habet in antiquitate, tum Ec-
 clesiastica, tum civili quam plurima, ut fusius suo tem-
 pore explicabitur. Illius initium erit feria III. hujus heb-
 domadis,

domadis,

domadis, seu xxvii. Septembris. Nam prima Institutio SOCIETATIS JESU approbatio facta est à Paulo III. Pont. Max. Anno M. D. XL. V. Kalen. Octob. Ad quam diem celebriorem faciendam, transigendamque cum fructu spiritali, Eminentissimus Cardinalis MARTIUS GINETTUS, Legatus de latere, facta sibi potestate à Supremo Sacrorum antistite VRBANO VIII. concessit Indulgentiam Plenariam. Ad quam obtinendam, DEO que nobiscum gratias agendas invito meos Auditores, quos ut maximè benevolos Societati, adfocere frequentes confido.

ARTICULUS III.

HVMILITAS

Anima solum, velut paludosam tellurem, siccat haud secus ac Pulvis & Cinis terram aquosam.

HAUD malè dixero, vel incongruè, ut opinor, Animam, cui virtutis imponenda est fabrica, esse veluti terram aquis immersam, vel palustrem, quæ undique aquis scateat: nimirum, perturbationibus immodicis, imperfectionibus, defectibus, peccatis, & nonnunquam criminibus, ac sceleribus. Ita profectò se rem habere nō pauca in Divinis Oraculis satis clarè indicant. Quàm illustre est illud psalmi LXXVIII. *Salvum me fac DEUS, quoniam intraverunt aquæ, usque ad animam meam,* Quo loco D. Chryostomus, per aquas intelligit secularia negotia, fluxa, & mortalia: Origenes verò, tentationes, quæ recens natis, aut ad Deum conversis imminet à Diabolo, tanquam à Pharaone: nonnulli, peccata: ut intrare aquas usque ad animam, significet, periclitari tentationibus,

tationibus, cogitationibus pravis, desideriis perversis, mundanarum rerum affectibus, aut etiam peccatis anime salutem. *Bibit, quasi aquam, iniquitatem.* dicitur Job. xv. Ubi haud dubie symbolum iniquitatis est aqua. Sicut in psalmo cviii. *Intravit sicut aqua interiora ejus.* quidam? dolus, malignitas, fraudulentia.

Ut ponatur itaque Virtutum fundamentum in anima, ejici primum haustoriis instrumentis, qualia sunt dolor, poenitudo, contritio, confessio, satisfactio debet haec aqua. Tum pulvere insperso exficari, quod remansit madidum solum. Nullus autem magis idoneus ad exsiccandum, est pulvis, quam Humilitas, cujus vis, tum solidandi, tum exsiccandi longè est efficacior, quam pulveris Puteolani. Cum igitur Humilitas, inum in virtutum aedificio locum occupet, & Fidei substernatur, rectissime Fundamentum fabricæ spiritualis dicitur; indirectè tamen ac dispositivè, quia obstacula removet.



S E R M O IX.

HUMILITAS

Complanat Animæ fundum, ut in eo aedificari possit.

Omnis Vallis implebitur; & omnis mons & collis humiliabitur.

Et erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Lucæ iii.

4. 5.

ARTI-

ARTICULUS I.

COMPLANATIO SOLI

Necessaria est ad Fundamentum constituendum.



FUNDAMENTVM locandi obstaculum, ut-
num è præcipuis, est soli inæqualitas. Quo
circa prima Architecti consideratio esse
consuevit de complanatione, quæ fit vel
Depressione, vel Expletione. Si locus monticu-
los colliculós-ve, aut eminentias protuberantes habeat,
auferendæ sunt, aut deprimendæ: si valles, vel fossas, ex-
pleri debent, ut sit planities, cui inædificetur. Quod dili-
gentissimè servatum est à Salomone in ædificatione
templi. Nam ut haberetur loci, in quo est extructum, æ-
qualitas, ingentes ab eo factas esse substructiones scri-
bit Josephus historicus. Lib. VIII. cap. 2. Et, *dici, inquit,
non potest, ac vix etiam oculis credi, quàm mirandum fuerit illud
exterius fanum. Siquidem vallibus expletis tam profundis, ut ad
prospectum oculi caligarent, & aggestâ ad quadringentos cubitos
terra, eam vertici montis, in quo templum extructum est, equavit.
Atque hoc modo factum est, ut area fani cum solo templi equare-
tur.*

ALIO tempore Salomon, ut haberet planitiem aptam
ad ædificandas domos ingentem coæquavit voraginem,
de qua lib. III. Reg. XI. sic scribitur, *Salomon adificavit Mel-
lo, & coequavit voraginem civitatis David patris sui.* Mello
erat vorago, ac vallis profunda, ac lata admodum, quæ
montem Sion à civitate inferiori discernebat: atque à
porta aquarum, Occidentem versus usque ad portam
piscium extendebatur. Ab hac voragine David montem
Sion

Sion per gyrum ædificavit, ac munivit. Hujus igitur concavitatem Salomon, ut esset locus pro ædibus utrumque in platea, quam ibi aptari cupiebat, coæquavit, & ædificis ornavit. Scio Hebræos, per *Mello*, quod Hebraicè significat *Plenitudinem*, intellexisse locum comitorium, quia illis congregabatur populus ad consultandum de rebus agendis. Alios existimare fuisse aggerem, qui cingebat arcem. Nonnullos putare, fuisse fossam circa arcem, quæ dicta sit *Mello*, quod aqua impleretur. Quosdam autem putare, fuisse summitatem, sive verticem montis Sion. Sed quod diximus bene probant nostri temporis Chorographi, & Scriptores de Vrbe ac templo Ierosolymitano, Richardus, Adrichomius, Sanchez, Sallianus, Arias, (a) Villalpandus: quibus accedunt Scripturæ Interpretes, (b) Menochius, Tirrinus, Cornelius. Jam vero, ut ad tropologicam nostram Ædificationem redeamus.

(a) Villalp. lib. 2. de Temp. cap. 2. de Apparatu. (b) Lib. 2. Reg. c. 5. & lib. 3. II.

ARTICULUS II.

HUMILITAS

Tollit tumores fundi impediētes extruccionem Ædificiū.

HUMILITAS, vel est ipsa animæ planities ac æqualitas, vel illam inducit, quia tollit omnem tumorem elationis. Quicquid superbia est eminent, complanatur Humilitate. Omnis collis & mons arrogantia Humilitate deprimitur aut sponte subsidit, ut fiat æqualitas. Humilitas est ipsa elationis depositio, & inæqualitatis ex hoc capite ablatio. Certè, inter signa hominis verè demissi ac humilis exprimit S. Basilus in Regulis suis brevio-

brevioribus: cap. 198. Si æqualiter semper unoq; tenore
 submissè se gerat, ac humilitatē consecetur, & in ea mē-
 te se exerceat. Sanctus verò Ambrosius indagans causam
 perpetuæ cujusdam cōcordiæ, & æqualitatis in cor-
 pore Christi mystico, quod est Ecclesia, in quo multi
 nunc sunt potentes, plurimi nobiles, docti non pauci
 cum alii, numero vel superiores, vel æquales, sint infir-
 mi, pauperes, rudes: quod magis adhuc apparet in bene
 constitutâ Religiosorum familiâ. Existimat autem An-
 tistes ille sapientissimus hanc æqualitatem esse humili-
 tatis effectum. lib. x. Epist. 34. *Hæc, inquit, virtus vera Hu-
 militas est, quæ inter quoslibet meritorum gradus, nunquam sui
 potest esse dissimilis. Nam & in officiorum vicissitudine, & in man-
 suetudinis lenitate. & in voluntaria paupertatis electione inveni-
 tur multa distantia, & alter altero in propositi sui devotione, aut
 major, aut minor est. In vera autem humilitate nihil divisum,
 nihilq; non solidum est: & idè omnes participes suos unum facit,
 quia inæqualitatem ipsa non recipit. Itaque Humilitas extu-
 berantia deprimit, aut tollit, sicquæ solum, cui inædifi-
 candum, ad æqualitatem redigit.*

ARTICVLVS III.

HVMILITAS

Implet Valles. Obstruit foramina. Coaquat Voragine.

ILLUD mirum est, sed haud minus verum, quàm supe-
 riora, quod Humilitas, si quid reperiat nimis depre-
 sum in animæ fundo, si quid lacunosum, cavumque,
 immò, si ingentem hiatum, ea expleat illicò, ut coæque-
 tur concavitas. Id ut demonstret D. Anselmus, jubet
 concipi Superbiam, tanquam fossam, aut vallem palu-
 stre m,

strem, quæ nisi Humilitate, velut monte solido impleatur, non est aptum ædificationi fundamentum. Digna autem est attentione vestra Doctoris præclari hac de re planè architectonica commentatio, in libro similitudinum cap. xcviij, cujus est inscriptio: *De adificante domum.* Et, quod *Superbia sit vallis maxima bestiis vitiorum plena.*

» Sic agere decet, inquit Anselmus, qui ad virtutes
 » tendit, velut, qui Domum ædificare debet. Qui enim
 » Edificium vult facere stabile, soliditatem prius con-
 » siderat terræ, quo scilicet fundamentum firmum sup-
 » ponere, parietes erigere, tectum superimponere, tu-
 » rusque possit inhabitare. Sic qui virtutum vult facere
 » Edificium, quo securus inhabitet ab insidiis Dæmo-
 » num, illud est providendum, ut locus ædificationis sit
 » firmus: nam nisi fuerit, Edificium diu subsistere non
 » poterit. Hoc itaque solum, vel terra bona est **HUMI-**
 » **LITAS**, cujus cunctis virtutibus congruit natura, eas-
 » que, velut firmum **FUNDAMENTUM** sustentat. **NON**
 » est in altum elevata Superbia, sicut quidam putant,
 » sed demissa, & vallis maxima bestiis vitiorum plena,
 » & caligine tenebrarum densissima. Nam quanto am-
 » plius quis superbix involvitur, tanto minus lucem ve-
 » ritatis intuetur. Nec clarè justum ab injusto, quam diu
 » in tenebris, id est, in cæcitate sui cordis jacet, discerne-
 » re superbus potest: sed quæ sunt distorta æquè sectatur,
 » ut recta. Unde fit, ut in valle istâ tenebrosa vitiorum
 » sit copia, quasi bestiarum crudelium multitudo ma-
 » gna. Nam leones crudelitatis, vulpes calliditatis, ser-
 » pentes venenatæ invidiæ, ranæ garrulitatis, & iracun-
 » diæ, ceteraq; vitiorum animalia solent ibi abundare.
 » Deinde, capite xcix, Humilitas, ait, mons magnus est,
 » in cujus summitate lux est non modica, & honesta-
 » rum personarum, id est, sanctarum virtutum pulcher-

Secunda Pars.

Y

rīma

rima turba. Jam facile est comprehendere, quomodo Humilitas cavitatem expleat, ut locus fiat planus, ad ædificationem idoneus. Nam si superbia est vallis, mons humilitas, hac illi imposta, vallis impletur, & summitas utriusque æquatur.

ADDE. Quoniam Humilitas, ut ceteræ virtutes, in mediocritate consistit, si quid sit in anima nimis depressum, id ipsa elevat, aut potius in illud se immittit, instar congestitii pulveris, ut ad æqualitatem omnia redigantur. Humilis usurpat illud Pauli Apostoli ad Philip. iv. 12. *Scio & humiliari, scio & abundare: (ubique, & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat. Quæ verba exponens S. Ambrosius: lib. 2. de offic. cap. 7. Non ergo, inquit, indocta Humilitas, sed quæ habeat sui modestiam, & scientiam laudi datur. Est enim humilitas formidinis, & imperitiae, atque ignorantie. Ideo & Scriptura ait Psal. xxxiiii. 19. Humiles spiritu salvabit. Praclarè ergo dixit: Scio & humiliari, id est, quo in loco, qua moderatione, quo fine, in quo officio, in quo manere. Nescivit Phariseus humiliari, idè dejectus est; scivit Publicanus, idè justificatus est. Sciebat & abundare Paulus, qui animum habebat divitem, & thesaurum divitis non habebat. Sciebat abundare, quia non querebat datum in pecuniâ, sed requirebat fructum in gratia.*

CERNITVR hoc Humilitatis officium in Magistratu, & quarumlibet congregationum superioribus, quocumque illi appellentur nomine, sed supremis potissimum, in quibus Humilitas replere debet fossas pusillanimitatis ac formidinis, ut maneat sine hiatu, & tumore planities. Notatum hoc reperio à Papa Gregorio qui hanc instructionem dabat Ecclesiasticis Prælati, 2. part. „ te Pastoral. cap. 6. Solerter intuendum est; ne dum immoderatus „ moderatius custoditur virtus humilitatis, solvantur
jura

„jura regiminis, & dum Prælarus quisque plus se, quàm
 „deceat, dejicit, subditorum vitam distringere sub disci-
 „plinæ vinculo non possit. Teneant ergo Rectores ex-
 „terius, quod pro aliorum utilitate suscipiant, seruent
 „interius, quod de sua æstimatione pertimescunt. Sed
 „tamen quibusdam signis decenter erumpentibus, eos
 „apud se esse humiles, etiam subjecti deprehendant,
 „quatenus & in auctoritate eorum, quod formident,
 „videant, & de humilitate, quod imitentur, agnoscant.
 His accedit, quod tanta sit Humilitatis cū Magnanimitate
 affinitas, ut propter officiorum utriusque virtutis quan-
 dam velut germanitatem, existimaverit insignis S. Tho-
 mæ interpret Martinus, Humilitatem re ipsa non esse
 distinctam à magnanimitate. Quod licet esse falsum ar-
 bitrer, & accuratè refutet Cajetanus 2.2.q.161. negari
 tamen non potest, magnam esse inter utramque simili-
 tudinem, & arctissimam consociationem. Quantumvis
 enim Humilitas faciat, ut homo ad alta non tendat,
 tanquam illa sibi per proprias vires sint proportionata,
 ac debita: nihilominus, quatenus illa divinis, quæ in se
 spectat, donis sunt consentanea, ea potest appetere, at-
 que ad illa conari. Hinc fit, ut is, qui in se est humillimus,
 ex Dei dono sit summè magnanimus. Et si enim ex se
 nihil possit, nulloque bono aut honore sit dignus, tamen
 Dei dono illiusque præsidii, potest, ideoque conatur
 plurima, & maxima: atque illud fidenter usurpat: *Omnia
 possum in eo, qui me confortat.* Quapropter maximis donis,
 honoribusque dignus est: immò, quia veritatem amat,
 se dignum judicat. Quod declarat egregiè S. Gregorius,
 lib. vi. in cap. i. libri primi Regum, cap. 3. explicans ver-
 ba illa capituli 6. *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oves.*
 „Meritò, inquit, ille paruulus dicitur oves pascere, quia
 „Electus quisque humilis est, & sterilis non est: quia

„quotidie magna agit, sed de se magna non sentit. Me-
 „ritò ergo non solum parvulus, sed pastor asseritur,
 „quia, qui verè humiles sunt, foris se deijciunt, sed inter-
 „nam societatem in summis & æternis pascuis immo-
 „rantur. Nam scriptum est: DEUS superbis resistit, hu-
 „milibus autem dat gratiam. Quæ autem gratia nisi ut
 „summa videant, & cognoscant & diligant, atque ad
 „ipsa dilecta, quasi fortes & pingues currant.

IDEM cernitur in omnibus Beatis: sunt enim & ex se
 humillimi, & ex DEI donis summè magnanimi. Nec ve-
 rentur adfirmare Theologi, nullos esse magis magnani-
 mos, quàm qui sunt verè humiles. Siquidem cum non
 suis viribus, sed solum auxilio DEI, cui se penitus subje-
 cère, nitantur; cumque ejus omnipotentiam ac bonita-
 tem jugiter cogitèt, ac perpendant, nihil occurrit, quod
 iis impossibile ac valdè arduum videatur. Quocirca
 quidvis aggredi, cum id honor DEI postulat, non du-
 bitant. Id cernere fuit in Apostolis, Martyribus, & exi-
 miis quibusdam Religiosis, & quotidie apparet in orbis
 alterius industriis curatoribus. Itaque Humilitas non
 ita hominem deijcit, ut reddat segnem, timidum, pusil-
 lanimem: immò, erigit, & pusillanimitatis vallem ex-
 plet. Quod dum facit, æqualitate inductâ, reddit solum
 planum, fundandi obstaculum amovens: ideoque ædi-
 ficii spiritualis fundamentum dispositivè optimè appel-
 latur.

CONFIRMATUR doctrina hæc hactenus tradita animad-
 versione S. Thomæ observantis, posse quempiam abs-
 que humilitatis præjudicio dona Dei, quæ ipse accepit,
 præferre donis Dei, quæ aliis apparent collata. Quod
 sumitur ex Apostolo scribente ad Ephesios Capite ter-
 tio. *Aliis generationibus non est agnitum, sicut nunc revelatum
 est S. Apostolis ejus. Neque etiam requirit vera Humili-*
 ras,

tas, ut aliquis id, quod est Dei in seipso, subijciat ei, quod apparet esse Dei in proximo. Nam illi qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere, secundum illud 1. ad Corinth. 2. *Vt sciamus, à que DEO donata sunt nobis.* Adhæc, non postulat Humilitas ut quilibet, quod est suū in seipso, subijciat ei, quod est hominis in proximo. Alioqui teneretur quilibet reputare se magis peccatorem quolibet alio: cū tamen Apostolus absque præjudicio humilitatis scripserit ad Galatas capite secundo: *Nos natura Iudei, & non ex Gentibus peccatores.* Potest tamen aliquis reputare aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet: vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est: ex quo se potest ei subijcere, & minorem æstimare per humilitatem.



S E R M O X.

PROPORTIO HUMILITATIS

Quæ Fundamenti, cum altitudine Domus Sapientia.

ARTICULUS I.

S.S. TRINITATIS MYSTERIVM

Quia altissimum, requirit profundissimam Humilitatem in Discente, Credente, Honorante.



MODIerna Dominica indigitatur Ecclesiasticâ nomenclaturâ, S. S. TRINITATIS: & in eâ officium matutinum, diurnum, vespertinum,

tinum, psalmi, ode, carmina, versiculi, antiphonæ, introitus, gradualia, offertoria, collectæ, Epistola, Evangelium, lectiones, homiliæ, orationes, meditationes, contemplationes, denique quicquid ad altare recitatur à Sacerdotibus, quicquid in choro canitur à musicis, quicquid in oede pronuntiatur à Monachis & Monialibus est de S-S^{ma} Trinitate. Ubique frequentissimè repetitur: *Benedicta sit Sancta & individua TRINITAS, nunc & semper, & per infinita secula seculorum.* Amen. Ubique auditur: *Gloria Tibi TRINITAS æqualis, una Deitas: & ante omnia secula, & nunc & in perpetuum.* ubique personat: *DEUM verum, unum in TRINITATE, & TRINITATEM in unitate. Venite adoremus.* Quare nihil temporì convenientius, Evangelio accommodatius, officio Ecclesiastico congruentius, auditoribus utilius, & quod palmarium nunc est, S-S^{ma} TRINITATI gratius ut opinari fas, nihil erit, quàm si in Scholâ virtutis, qualis est hæc diebus dominicis tractetur à nobis de illa virtute, inculcetur animis audientium illius virtutis officium, incitentur ad amorem illius virtutis Academici Christiani, quæ S-S^{ma} TRINITATI est gratissima. Quæ-nam est illa? Humilitas. Quæ virtus Patri est acceptissima? Humilitas. quæ Filio jucundissima? Humilitas. quæ Spiritui Sancto probatissima? Humilitas. Studeamus igitur Humilitati si rem velimus facere gratissimam TRINITATI. Quæ virtutum honorat enixè Patrem? Humilitas. quæ celebrat præcipuè Filium? Humilitas. quæ laudat præcipuè Spiritum-sanctum? Humilitas. Itaque honoremus Patrem, celebremus Filium, laudemus Spiritum-sanctum Humilitate. Quæ virtus benedicit Patri? Humilitas. quæ blanditur Filio? Humilitas. quæ placet Spiritui sancto? Humilitas. Benedicamus ergo Patri, blandiamur Filio, placeamus Spiritui sancto Humilitate. Quæ

virtus

virtus placat Patrem? Humilitas. quæ demeretur Filium? Humilitas. quæ attrahit Spiritum-Sanctum? Humilitas. Eia ergo placemus Patrem, demereamur Filium, attrahamus Spiritum-sanctum Humilitate. Quæ virtus glorificat Patrem? Humilitas. quæ magnificat Filium? Humilitas. quæ honorificat Spiritum-sanctum? Humilitas. Itaque glorificemus Patrem, magnificemus Filium, honorificemus Spiritum-sanctum Humilitate. Sit principium magnificandi SS. TRINITATEM Humilitas: sit medium Humilitas, sit finis Humilitas. Ordiamur TRINITATIS laudem Humilitate: prosequamur Humilitate: absolvamus Humilitate. Præcedat orationes omnes actionesque nostras, ut DEO gratæ sint, Humilitas: comiterur Humilitas; sublequatur Humilitas.

HVIVS persuasionis, fuit Doctor Ecclesiæ, ut humillimus, ita S-SMÆ TRINITATIS cultor maximus, Augustinus, qui ut Dioscorum, ad quem scribit doceret, non posse TRINITATEM honorari, ut decet, sine fide, fidem autem altissimi mysterii non obtineri sine profundissima Humilitate, in hunc modum differit, epistola LVI.

» DEO nos totâ pietate subdere debemus, nec aliam
 » nobis ad capeffendam, & obtinendam veritatem (*fi-*
 » *dei, scientiæ, sapientiæ*) & felicitatem, viam munire,
 » quàm quæ munita ab illo est, qui gressuum nostrorû,
 » quippe DEUS omniscius, videt infirmitatem. Ea est
 » autem prima Humilitas, secunda Humilitas, tertia
 » Humilitas. Et quoties interrogaret, hoc dicerem. Non
 » quod alia non sint præcepta quæ dicantur: sed nisi
 » Humilitas, omnia quæcumque bene facimus, & præ-
 » cesseait, & comiterur, & consequuta fuerit: & præpo-
 » sita, quam intueamur, & apposita, cui adhæreamus, &
 » imposita, qua reprimamus, jam nobis de aliquo bono
 » facto gaudentibus, totum extorquet de manibus su-

perbia. Vitia quippe cetera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timèda est, ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Itaq; sicut Rhetor ille nobilissimus, cùm interrogatus esset. Quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis observari oportere? Pronunciationem dicitur respondisse: cùm quæreretur, Quid secundò? eandem Pronunciationem. Quid terriò? nihil aliud, quàm Pronunciationem dixisse. Sic, si interrogares, & quoties interrogares, de præceptis Christianæ Religionis, nihil me aliud respondere, nisi Humilitatem liberet:] Tam grata TRINITATI, tam utilis ad Trinitatis fidem aspirantibus, tam propria Trinitatis fidelibus est Humilitas.

At enim, Pater R^{de}, dicunt fortasse aliqui, hoc festo SS. TRINITATIS, si quid petere liceret humiliter, vellemus audire subtilia quædam de hoc sublimi mysterio jucundum nobis esset, audire ex illa cathedra disserentem, aut disputantem de Processionibus divinis, de Relationibus, de Actibus notionalibus, de Generatione Filii, de Spiratione tertiæ personæ: de Ordine prioris, ac posterioris: de Circuminsessione, de Similitudine & Æqualitate inter Personas: de Missione Personarum, & ejus generis alia. Carissimi mei, nescitis quid petatis. Potestis ex memoriâ recitare quicquid habetur in Catechismo de S-S^{ma} TRINITATE, & aliis Fidei Catholicae mysteriis? Utinam audirem omnes dicere verè, possumus. Et sanè, me juvat credere de vobis, optimis meorum auditoribus, & diligentissimis discipulis, quod dicere sine falsitate queatis: possumus. Hoc, mihi credite, dilectissimi, sufficit vobis. Nihilominus venerande Patris, desideraremus aliquid altius. *Duc in altum*, dicebat Christus Petro, futuro Concionatori Evangelico. Luc. v. 4. Quod exponens S. Ambrosius, inquit: *duc in altum disputationis.*

tationis. Placet mihi desiderium illud sciendi divina, & ardor evolandi ad altissima: est enim gradus ad summa pervenendi. Sed quo minus vobis obsequar, dicam candidè, quid me moretur: & est idipsum quoddam meum secretum, quod spero, si non omnibus, saltem aliquibus fore usui. A primâ adolescentiâ meâ feci mihi familiarem quendam libellum, qui pollice non est crassior. Ille mihi fuit hætenus *enchiridium, manuale, vade mecum, dormi secure*, ut à multis istiusmodi libelli appellantur: illum æstimo magis, quàm omnes Grammaticas, profodias, rhetoricas, logicas, physicas, metaphysicas, mathematicas: magis quàm Hippocratis & Galeni aphorismos: magis quàm Iustiniani institutiones, Codicem, Pandectas: magis quàm quorumcumque ingeniosorum commenta. Continet enim quicquid est scitu necessarium ad salutem, ad perfectionem, ad felicitatem. Inscribitur libellus, *De imitatione CHRISTI.* In eo frequentissimè legi quandam sententiam, quæ quoties mihi fuit scribendum, disputandum, differendum, potissimum autem, quoties concionandum de S-SMâ TRINITATE obversata est animo. Est autem ista. legam ex libello. (a) *Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas Humilitate, vnde displiceas Trinitati?* Retinete, ruminante, ponderate sententiam istam, & nunquam à Concionatore altas de Trinitate disputationes postulabitis, sed semper simplicibus de Humilitate sermonibus contenti eritis. Maximè, si vobis persuadeatis, Fidem de Trinitate non posse in ullo oriri absque radice Humilitatis, nec consistere sine fundamento Humilitatis: quod quo fuerit profundius, eo erit inædificatum illi Sapientiæ ædificium sublimius. Itaque, Auditores mihi cari, si desideratis in vobis ædificare Domum Sapientiæ, id est, fide DEI vnus & Trini excellere, ac in omni

virtutum genere eminere, ponite fundamentum Humilitatis. Si vultis esse cari S-S^{mæ} TRINITATI, humiliamini sub potenti manu DEI. Si optatis censerī inter cultores Altissimi supremos, laudate Patrem Humilitate, celebrate Filium Humilitate, magnificate Spiritum sanctum Humilitate. Humilitate, humilitate, humilitate sit Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. AMEN.

ARTICULUS II.

S-S. EUCHARISTIÆ FIDES

Postulat solidam Humilitatem in Christiano acceptante, conservante, demonstrante, urente.

CONSPIRANT Catholici omnes in Ecclesiâ DEI, ut quanta possunt honoris significatione celebrent per hanc octavam Festum Corporis Christi. Huc conferunt omnem quem habent ornatum Ecclesiastici, omnem quam producere possunt pompam politici, omnem quem corradere queunt sumtum agrestes. Ipsi quoque milites in castris tormenta bellica ad sacrum illum usum convertunt. Hinc tubæ personant, pulsantur tympana, exploduntur magno fragore militares ex ære fistulæ. Traducta etiam ad Musarum castra aliqua celebratis hujus Eucharisticæ parte, convestiuntur parietes ingeniorum aulæis, quæ sunt epigrammata, emblemata, ænigmata, scriptoris manu bellè expressa, aut penivallo artificiosè tabulis papyraceis cõsignata. Ubique celebrantur processiones: ubique cantatur, alicubi etiam saltatur, ubique auditur laus & jubilatio. Soli heretici domi se continent, velut in spelæis homines lucifugæ,

isfaga. Ibi tamen mustitant, strident, allatrant, ringunt, sed inani conatu. Siquidem Catholici pergunt, exultant, canunt, tripudiant: sese mutuò extimulant, sibi que acclamant identidem.

Quantum potes, tantum aude,

Quia major omni laude,

Nec laudare sufficit.

At undè tam magnum inter Catholicos & hæreticos, inter Papistas & Lutheranos, inter Romanenses & Geusios discrimen? Omissis ambagibus, inde est, quod in Catholicis est virtus quædam, cui nomen Humilitas: in Hæreticis deest Humilitas. Catholici Humilitate subdunt intellectum suum DEO, eiusque verbo, quâ scripto, quâ tradito: atque ideò credunt, corpus esse corpus; sicut sciunt, fabam esse fabam, ficum esse ficum, ollam esse ollam. Itaque dum audiunt à Christo Domino dictum: *Hoc est corpus meum*, non concipiunt solum modò, ibi esse aliquod Corpus Domini; sed credunt per fidem divinam ibi revera esse corpus illud, quod erat Domini JESU: ideoque illud ipsum Iatriâ, hoc est, cultu divino adorant. Sed fides in iis non esset, nisi esset in iisdem Humilitas solida, id est certa, minimeque vacillans; sicut nò esset fundamentum domus, nisi esset soliditas terræ, quâ fundamentum supponit. Verùm hæretici dū audiunt: *Hoc est Corpus meum*, quo sunt nimirum ingenii acumine, id est, ruditate, quia nolunt illud captivare in obsequium fidei, nec humiliare sub potèntiam Dei, per tò *Corpus* concipiunt figuram inanem corporis, umbram corporis, metaphoram significativam corporis. Stolidi homines, & ridiculi, digni planè, qui hoc octiduo vescantur cibus, quos apposuit aliquando convivis suis Heliogabulus, cœnam iis apparans ex cibus pictis: & illis non apponeretur aliud, quàm olus pictum, jusculum pictum,

pictum, caro vel assa vel elixa picta, caseolus pictus: ce-
 tera picta: item, daretur ad potandum, cerevisia, aut vi-
 num pictum, & juberentur comedere hilariter, ac im-
 plere ventrem cibis metaphoricis & æquivocis: discer-
 rent illi tunc, reor, quod sit discrimen inter corpus ven-
 ac metaphoricū. Sed quomā nunquā tam opiparē sacra-
 menti: & multo magis, quia fide carēt, Sacramentum
 dei credere non possunt, & nolunt. Quare nullam ei re-
 verentiam, aut venerationem exhibent. Cujus, ut an-
 advertitis & originaria & fundamentalis causa est,
 defectus Humilitatis: quæ virtus ita prærequiritur ad fi-
 dem Christianam, sicut soliditas terræ ad fundame-
 tum domus. Ut in superioribus, ex disciplina architec-
 tonicā probavimus: nam est removens prohibens, seu
 tollens impedimenta omnia firmiter ponendi Funda-
 mentum fidei in Domo Sapientiæ, seu Virtutum Ædifi-
 cio: tollit enim tuber superbiæ, implet lacunas pusilla-
 nimitatis, adæquat & complanat quicquid est eminens
 aut depressum. Quare meritò Humilitas censetur prima
 virtutum Christianarum, ac ceterarum etiam Funda-
 mentum.

ARTICVLVS III.

ARCHITECTONICVM AXIOMA

*De proportionē profunditatis Fundamenti, cum altitudinē
 Ædificii demonstratur exemplis.*

IN Humilitatis fundamento jaciendo diligenter ob-
 servanda est regula ab Architecticis omnibus appro-
 bata: ut altitudinē ædificii respondeat profunditas fun-
 damenti: & illa hujus sit mensura. Quam transferet S.
 Augu-

Augustinus lib. de verb. D. ser. 10. ad Architecturam tropologicam & spiritualem, quâ Domus Sapietia extruitur. Verba illius hic repetere non attinet. Veritas autem principii istius constat ex antiquis æquè ac recentibus omnis generis fabricis. Certè, de fundamentis Templi Jerosolymitani sic scribit Josephus historicus: lib. 8. Antiq. cap. 2. Jecit, ejus Architectus præcipuus Salomon, in altissimam terræ profunditatem fundamenta templi è saxis validissimis, quæ contra omnem temporum injuriam resistere possent, ita ut cum contigua terra coalita, solum, ac firmamentum imponendis substructionibus præberent, & propter inconcussam soliditatem, facile molem ædificii cum apparatu ornamentum sumptuosissimo perferrent: non minorem admirationem habitura, quàm quæ supernè ad amplitudinem, pulchritudinem, & magnificentiam operis, per artifices elaborata sunt. Ex quibus colligimus, cum supernè Templum Jerosolymitanum à tribus potissimum admirationem moverit, altitudine, amplitudine, lapidum crassitie ac ornamentis; si fundamenta non minorem admirationem parere potuerint, eorum profunditatem altitudini fabricæ respondisse. Quod omninò mihi persuadeo, inde etiam argumentum mutuatur, quod uterque substructionis paries longus fuerit propè cubitos mille, secundum accuratam Joannis Baptistæ Vilalpandi dimensionem. to. 2. lib. 5. disp. 4. c. 6.

De Amphitheatro Titi, cujus Romæ etiam-num spectantur rudera, operis celeberrimi umbra, vel cadaver, quod vulgo dicitur *Colisseum*, quia Neronis cum capite colossus est in viciniam, refert Ammianus, quod ejus summitatem ægrè visio humana conscendebat. De eodem autem audiui aliquando, cum altitudinem molis, nunc quoque mirandam, curiosius intuerer, etsi multum à vertice ejus corruerit, & multum infernè subsederit, tantum tamen ejus sub terra latere, quantum supra
emi-

eminet. Idem adfirmare licet de aliis ædificiis altis & studineatis, quorum fastigia cœlis minari dicere solent. Oratores: nimirum, canon est Architectonicus: Fabricæ altitudini respondere oportere fundamenti profunditatem.

A R T I C U L U S IV.

CHRISTI SALVATORIS

Profunditas Humilitatis.

QVOD de Ædificio materiali dictum probatumque in spirituali æquè locum habet, dum jaciendum est Fundamentum Humilitatis. Cujus putatis vos fuisse altissimum ab orbe condito virtutum perfectissimum Ædificium? Haud dubiè, diceris, Christi Salvatoris, natorum Magistri excellentissimi. Ita etiam reor. In eodem autem Fundamentum Humilitatis jactum fuit profundissimè. *Humiliavit semetipsum*, inquit Paulus Apostolus 2. ad Philip. 7. *factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Cùm in formâ DEI esset, non rapinam arbitratus esse se æqualem DEO, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Posset-ne excogitari major Humilitatis profunditas quàm, ut qui verè DEUS erat, eadem cum Patre Divinitate præditus, exinaniret usque ad eò sese, & quodam modo ad nihilum suam illam Majestatem redigeret, hominis natura vili atque imbecilla susceptâ in hominum se ordinem redigeret, homo fieret, & factus homo, hominibus se humilitate subiceret. Hoc tamen fecit Christus, ut profunditas fundamenti altitudinem fabricæ responderet. Altitudo fabricæ virtutū in Christo fuit

fuit Caritas: illa autem superavit omnem cognitionem æstimationem que nostram, neque nostram tantum, sed etiam Angelicam. Unde *supereminentem scientiæ Caritatem Christi* celebrat Apostolus, ad Ephes. 111. 19. Quia enim non fuit profundior, quam Christi, Humilitas; non fuit altior, quam Christi Caritas, quæ est *Ædificii virtutum perfectarum sublimitas*. Præter quam alia fuit in Salvatore altitudo respondens ejus profundissimæ humilitati. Propter quam *DEUS exaltavit illum*, ὑπερεΐψωσε, insigniter extulit, ut Ambrosius transfert, *superextulit*, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine *JESU* omne genu flectatur, *cœlestium, terrestrium & infernorum*: & omnis lingua confiteatur, quia *Dominus JESUS CHRISTUS in gloria est DEI Patris*. Nimirum, quia Christus infra omnes acerbissimam ignominiosissimamque mortem perpeffus se abjecit, in summam est sublimitatem evectus, & illam est consequutus excellentiam, ac nominis potissimum claritatem, quæ cujusque alterius celsitudinem infinitis partibus antecedit: quippe, cui non terræ solum incolæ, sed cælites quoque humillimo, quo possunt gestu, veluti flexis poplitibus supplicantes subduntur, & cujus altitudinem gentes nationesque omnes suspiciunt ac celebrant. Quocirca merito canit Ecclesia, *DEUS, qui ad imitandū Humilitatis exemplum Salvatorem nostrū carnem sumere & Crucem subire fecisti: subjungamus nos: præta quæsumus, ut nunquam ab imitatione profundissimæ humilitatis Christi Domini Nostri cessemus.*

SED hîc supervacaneè subtilis arguit fortasse. Non videtur Dominus Christus vere humilis esse potuisse interno suo judicio, summum ostendere voluisse demissionem externâ conversatione, id illi est adscribendum. Siquidem Humilitas supponit judicium vilitatis & imperfectionis sui. Christus autem neque se vilem, neque

neque imperfectum iudicare internè potuit. Quod as-
 servisse videtur Diuus Bernardus Sermonè XLII, in
 Cantica ubi hunc inmodù differit. *Ipse se exinanivit, ipse se
 humiliavit, non necessitate iudicii, sed nostri caritate. Poterat ni-
 mirum vilem se & contemptibilem demonstrare sed planè non re-
 putare, quoniam sciebat seipsum. Voluntate proinde humilis fuit,
 & non iudicio; qui talem se obtulit, qualem esse nescivit:
 magis autem placuit minimum reputari, qui se summum non
 ignorabat. Verum enim verò Dupliciter potest quisquam
 se vilem & contemptibilem iudicare. Primò, absolute ac
 simpliciter. Ut cum quis se iudicat esse criminofum, vel
 peccatorem: se posse peccare: se esse dignum probro ac
 supplicio. Secundò, ex parte, & secundum quid, nimirum,
 consideratis iis, quæ præcisè à se, & non à Deo habet.
 Priori modò, Humanitas Christi non iudicabat se
 ipsam vilem, quoniam sciebat suam excellentiam, quam
 ex unione cù Verbo divino, eaq; hypostatica habebat,
 qua reddebatur impeccabilis, & omni honore dignissi-
 ma. Atque ita coarctò sententiam S Bernardi, qua asse-
 rit: *Dominum non fuisse humilem iudicio, sed adfectu.* Quod sa-
 tis mox declarat, dum subdit: *Non enim quomodo ego vel tu
 invenimus nos in veritate dignos dedecore & contemptu, dignos
 omni extremitate, & inferioritate, dignos etiam suppliciis, dignos
 plagis. Non, inquam, ita & ille. Quæ tamen omnia expertus est,
 quia voluit, tanquam humilis corde.* Posteriori modo haud
 erat alienum ab Humanitate Domini, vilitatis reputa-
 tio: immò, potuisset se ut nihil reputare. Siquidem non
 ignorabat, sed multo melius quàm ullus hominum per-
 spiciebat, omne suum bonum à Divinitate dimanare,
 se creaturam esse, ex nihilo factam, in nihilum, subtra-
 hente manum, à quo omnia, posse recidere. Se quidem
 esse impeccabilem: sed DEI dono, quo ablato, peccandi
 pronitatem, ipsumque peccatum à se non fore alienum,*

Atque

Atq; ita Divinitati se profundissimè submittebat, Deum suum humillimè venerabatur, in illum, ut bonorum omnium Auctorem quicquid habebat refundebat. Ex simili consideratione & notitia Humilitas vera est in Angelis & Beatis. Qui idcirco Coronas mittunt ante thronum dicentes: *Dignus es Domine DEUS noster accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt* Apocalyp. iv. Verùm, quemadmodum Christi Humanitas superat omnes creaturas intellectuales cognitione Divinitatis, ideoque caritate, ita excellit cognitione sui, ac dependentiæ illius, qua ipsa cum omnibus suis à DEO dependet, & consequenter etiam vera humilitate. Quàm cùm ageret in terris, non fucatè, sed verè ostendit, declaravitque ad finem usque vitæ, Humiliando se usque ad ignominiosissimam mortem CRVCIS.

ARTICVLVS V.

MARIÆ DEIPARÆ.

APOSTOLORUM. S. FRANCISCI

Profunditas Humilitatis.

SECUNDUM Christum Salvatorem, inter creaturas, nulla altius virtutum Ædificium extulit, quàm Virgo DEIPARA: sed nulla quoque profundius Humilitatis fundamentum collocavit. Nam PRIMA cùm esset omnium, NOVISSIMA facta est omnium, ut D. Bernardus animadvertit. Serm. de verb. Apocal. *Respexit, ait ipsa, Humilitatem Ancilla sue.* Volebat Architectus divinus, Spiritus-sanctus, cellissimum illud Ædificium

Secunda Pars.

Z

Cor-

Corporis Christi, quod Templum vocavit Salvator, & rigere in fundo ventris virginis, altissimum idcirco prius jecit fundamentum, id est, profundissimam Humilitatem supra quæ cælo celsiorem erexit fabricam.

IDEM cernere est in Apostolis, quorum elevatissimum Ædificium, quod virtutibus, donisque cælestibus ultra nubes est elatum, profundissimam Humilitatem pro Fundamento habuit. Quod observavit Rupertus Abbas in cap. iv. Matthæi, ubi, *Quanto, inquit, plura Sancti dona DEI percepturi erant, tanto majoris conscientiam puritatis indiguerunt, ut eadem dona portarent stabiles, & firmi, fundati in spiritu Humilitatis.* Inter Apostolos verticem altissimi nemo extulit PETRO. Sed hæc celsitudo profundissimæ Humilitati inædificari debuit. Nam cum ex summa Humilitate, sui que dejectione diceret Christo: *Domine exime me, quia homo peccator sum,* promissum accepit: *Ex hoc tempore homines capiens;* sic que factus est Princeps pastorum, Petra & Fundamentum Ecclesiæ, Claviger regni cælorum.

DE FRANCISCO viro sanctissimo canit Ecclesiæ FRANCISCUS *Pauper & Humilis cælum Dives ingreditur.* Illius autem Altitudinem miramur merito, & mirabitur omnis posteritas: nam virtutes præcipuas justorum supergressus, in cælum Palatium gloriæ celsissimum sibi erexit, in ea que sedem altitudine multis incredibilem conscendit. Eam, cum in cælum mente raptus contempleretur Quidam e Fratribus, & admiraretur ut refert S. Bonaventura in vita cap. vi. Sancti, audire Sedes hæc unius de ruentibus fuit, & nunc Humiliter vatur FRANCISCO. Cujus Humilitatem cum explorare vellet, is cui facta fuerat visio: quæsiuit, captata occasione à Francisco quem comitabatur in via: *Quid de-*

ipse
mih
ner
affe
qua
min
mul
tura
mili
sacr
de q

S.
F.

Q
rius
mad
misi
habu
men
stra
lis p
quia
tores
uuni

ipse

ipse sentiret? respondit Humilis Christi servus: videor mihi peccatorum maximus. Cùm autem Frater opponeret: id non posse illum salva religione & conscientia asserere, aut sentire; subjunxit. Franciscus, si hominem quantumcumque sceleratum tanta Christus Dominus prosequutus fuisset gratia, arbitror sanè, quod multo quàm ego Deo gratior extitisset. Addit Bonaventura: confirmatus fuit Frater ille ex tam admirabilis Humilitatis auditu de veritate visionis ostensæ, Evangelio sacro testante agnoscens, quod ad excellentiam gloriæ, de qua superbus eijcitur, verè HUMILIS exaltetur.

ARTICVLVS VI.

Profunditas Humilitatis

S. AVGVSTINI. S. THOMÆ AQVINATIS.

FRANCISCI SVAREZ. GABRIELIS VASQVEZ.

& similibus Doctorum.

QVONIAM Humilitati proximè imponitur Fides, tanquam per se primarium, *per se*, dico, sensu superior explicato, Ædificii spiritualis Fundamentum, animadverto illos maximè in fide excelluisse, ac fuisse firmissimos, & phrasi Apostolica, optimè fundatos, qui habuerunt maximè firmum & profundissimum fundamentum Humilitatis. Post Apostolos Religionis nostræ principes, qui omni exceptione sunt majores, nullis posteriorum in Ecclesia Doctorum comparandi, quia omnibus eminentiores; inter Fidei propugnatores celeberrimos, duos admirari, & venerari unicè soleo, qui in hominibus excessisse mihi humanum

num fastigium videntur, dari Ecclesiæ ab Auctore fidei in miraculum & gloriam Religionis Christianæ. Sunt AVGVSTINVS Hipponensis, & THOMAS Aquinas, quos, ut Theologica cognitione ceteris palmam præcipuisse, & posteris spem assequendi, ita fidei excellentia præstitisse omninò mihi persuadeo. At eosdem Christianam Humilitatem & demissionem animi ita coluisse, ut profundissimè illam Fidei subjecerint, nemini scripta illorum prævolventi potest esse dubium.

DE GABRIELE VASQUEZ notissimæ famæ Theologo, qui quæ Augustinum in sanguinem succumque suum convertisse videri poterat, quem quæ idcirco Augustini Mentem, aut linguam dicere non-nemo haud veretur, Auctor præfationis posthumæ ad Tom. 2. in t. 2. prodit auctor ei familiaris, quod dictitare sit solitus, Augustinum in Humilitatis perfectione Francisco minimè inferiorem fuisse: eam quæ ob causam, quamvis aliæ non deessent, Vasquez Augustini erat studiosissimus, ut Humilitatis non minus, quàm subtilissimæ illius doctrinæ esset hæres.

THOMÆ Aquinatis autem ea fuit Humilitas, ut meritò in proverbium apud Religiosos abire potuerit. Memorabile est factum, quod in vita ejus legitur. Agebat Bononiæ, & speculationi intentus in xylto obambula-
bat: cum ecce tibi repente focus nescio quis, cui Thomas à facie non erat notus; qui heus, inquit, bone frater P. Prior mandat, ut sis comes itineris: inclinat cappa Thomas, & sequitur: ille festinanter, nam urgebat negocium, præcedere, Thomam respicere, nonnunquam ob-
jurgare, fortasse etiam cappa trahere: præclarum spectaculum in luce Academiæ, ubi tantus habebatur Doctor Thomas, qui humiliter excusabat, quod insequi non posset. Mirati cives, inquit vitæ scriptor, quod
tantus

tantus Doctor, post fratrem modicæ conditionis incederet, qui dignus erat, ut præiret, indicarunt ductori quis ille erat, quem post se trahebat. Is conversus, & intuens accuratius Thomam errati veniam postulavit. Civibus autem de tantâ Eximii N. Magistri abjectione quærentibus demissè respondit: In obedientiâ omnis religio perficitur, quâ homo homini propter DEUM se subijcit, sicut se DEUS hominibus propter hominem inclinavit. Habebat præ oculis Thomas illud Sapientis: Eccl. III. 20. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam.*

IDEM spectarunt, qui Augustinum Thomam que sunt æmulati, ut in speculationis sublimitate, ita in profunditate Humilitatis. Inter quos ex recentioribus eminet FRANCISCVS SUAREZ, quem Paulus V. Pont. Max. datus ad eum quaternis litteris Apostolicis, *Doctorem eximium* vocavit: Conimbricensis Episcopus, *Alterum hujus ætatis Augustinum: alii, Theologorum Coryphaeum, & Antesignanum: Quidam, hujus ætatis Prodigium & Oraculum: non nemo, hujus seculi in Scholasticis Gigantem: plurimi, Auctorem gravissimum, celeberrimumque Doctorem.* Hic tamen in » tanto litterarum famæque fastigio adeò sibi nihil ar- » rogabat, ut se infra omnes demitteret: ut ad suas lau- » des oculos pudibundus deprimeret: nullis se functio- » nibus, quàm culinæ abjectissimis aptiorem fateretur. » Vitabat hominum congressus, ne in suas laudes, quod » aliter vitare non poterat, impingeret. Et quod fortè » in illo summæ HUMILITATIS, certè, profundissimæ » videri potest, sæpe discipulos suis in rebus consulebat: » libros iis, commentariosque suos recognoscendos » tradere, & si quid in iis censura dignum animadver- » terent, summa facilitate mutare solitus. Sui contem- » ptor honoris, servantissimus erat alieni. Nullius ingenium,

» nium, famamque deprimere; immò, eos etiam lau-
» dibus solebat extollere, qui minus videbantur, alio-
» rum opinione laudabiles.

DE GABRIELE VASQUEZ, cujus non pauciora ex-
tant encomia, referunt tabulæ domesticæ, fuisse, am-
bitionis, omnisque fastus contemptorem egregium,
quod arguit Humilitatis haud mediocrem profundita-
tem. Hic catalogum texere possem aliorum omni eru-
ditionis, & doctrinarum genere excellentium Virorum,
quos cōtinet Bibliotheca Scriptorum Societatis, de qui-
bus ambigi posset, doctiores-ne fuerint, an humiliores.
Nimirum, ubi est Humilitas ibi est Sapiencia, & illius
profunditati hujus respondet altitudo. E contrario, il-
lud ab ipsis Apostolorū temporibus animadvertum est,
quod in quibus Fidei, quæ est vera Sapiencia Christiana,
Fundamentum non fuit stabile, in iisdem Humilitatem
non fuisse profundam, nec firmam, superficialē tantum;
& vacillasse: eā autem effundata & ejecta, subsequuta
mox fuit totius Religionis, tanquam superædificata,
domus ruina.

Sic Tebutem quendam recessisse ab Ecclesia, defe-
ctu Humilitatis, quod Episcopatus repulsam tulisset, au-
ctor est Egesippus apud Eusebium lib. 4. historię Ec-
clesiast. c. 2. Eusebium. Quid Simonem Magum à fidei
constantia dejecerit historia Apostolica docet. Valenti-
num Episcopatus spe frustratum dejecisse scribit Ter-
tullianus. (a) Idem de Marcione adfirmat Epiphanius,
(b) De Montano & Ario Theodoretus. (c) Qui hoc ipsū
de Nestorio memorat. De Novatiano Cornelius apud
Eusebium. (d) De Macedonio Epiphanius: (e) idemque
narrat de Aërio: (f) De Sabatio Socrates historicus. (g)

Vni-

(a) lib. contra Valenr. (b) Hæresi 42. (c) lib. 4. de hæret. fabul. (d)
lib. de hist. c. 33. (e) Hæresi 73. (f) ibid. (g) lib. 5. hist. c. 20. Niceph.
lib. 11. cap. 30.

Vniuersè S. Hieronymus, commentario in Abdiam: *Quis hereticorum non in superbiam extollitur, Ecclesia simplicitatem parvipendens, & fidem imperitiam reputans?* Idem adserit S. Augustinus, cuius hoc est effatum: (a) *Mater omnium hereticorum est superbia & cupiditas gloria, ac studium scientie: nempe, solius, aut vanæ. Quod ipso rerum usu & quotidianâ experientiâ nostri ævi hæreticorum verissimum esse recognoscimus. De quorum arrogantia pleni sunt, non Catholicorum modò sed ipsorummet sectariorum libri. Et demonstrant egregiè, Robertus Bellarminus, (b) Franciscus Feu-ardentius, (c) Ludouicus Richeomius (d) Joânes Lorrinus, (e) & Controversiarum tractatores. Summa. Fidei divinæ donum ex DEI illuminantis munere habetur Verissima autem est illa Christi Domini ad Patrem confessio: *Revelasti ea parvulis. Humiles sunt parvuli, & reciprocè.**

ARTICVLVS VII.

PRÆFVNDAMENTVM

Humilitati substernendum,

COGNITIO SVI.

Hic meritò percontetur Humilitatis profundæ sectator, an Humilitas ita sit Fundamentum Ædificiî spiritualis, ut nullum infra se habeat, quod ipsi quoque, quasi *Præfundamentum* sit substratum. Huic servata analogia ad Fundamenta ædificiorum haud malè responderetur: Quando Fundamentum ædificiî locatur, infra

Z 4 illud

(a) lib. 8. de Gen. ad litt. c. 25. (b) de Notis Eccl. (c) in epist. Lud. d. Idololu. Hugonot, (e) in Epist. Petri Joan. Acta. Justinian. 1. ad Timoth. 7.

illud solere poni calcem, similemve materiam, qua Fundamenti lapides conglutinentur, & tenacius fundo ac inter se cohæreant. Simile quid contingit in constructione Domus Sapientiæ, cujus Fundamentum cum sit Humilitas, hæc supponit cognitionem sui, id est, imperfectionum & defectuum suorum. Itaque infra *Fundamentum Humilitatis* collocatur *Notitia sui*, tanquam *Præfundamentum*, quæ calcis etiam & bituminis vice fungitur: illud Sapientibus antiquis celebratissimum, quod ut quidam canit *E cælo descendit*, *γῶδι τεαυτὸν*. Hoc est initium Humilitatis, & principium fabricæ quæ ex virtutibus confurgit, ac Humilitati insistit. Certè, Plato de hæc re differens, docet, *Nosse seipsum*, esse absolutè sapere, & ab eo omnem vitæ Sapientiam, justitiâque pendere. Idem alibi addit: nec prudentem, nec bonum, nec felicem esse posse, qui seipsum non probè norit. Quocirca sanctior apud Christianos Doctor Bernardus, sermone xxxvi, in Cant. Volo, inquit, animam primo omnium scire seipsam: quod id postulet ratio, & utilitatis & ordinis. Et ordinis quidem, quoniam quod nos sumus, primum est nobis: utilitatis verò, quia talis scientia, non inflat, sed humiliat.

PORRO, cognitio sui facillimè comparatur, dum quis se coram DEO, Angelis, ac tota Curia cœlesti constitutis, considerat, Quis Qualisque sit, tum animo, tum corpore. Quoad illum ignorans, ad malum pronus, ad bonum lentus: quoad istud, è terra terrenus, vilis, bestiis similis, quoad utrumque, instabilis, levis, mille subjectus miseriis. Deinde, quod ex se nihil boni habeat, nihil possit. DEUS manum retrahat, in nihilum illicò concidat. Hæc coram DEO seriò perpendenda sunt, ad cuius lumen sine adulatione & fuce, res, ut in se sunt, comparèt. Ad illud lumen veritatis constitutus homo, seipsum, & sine dissimula-

mula-

mulatione inspicit, & sine palpatione dijudicat, inquit S. Bernardus. Ser. 42. in Cant. Nimirum, ad solarem radium atomi deteguntur, qui latebant antea.

ARTICVLVS VIII.
ACTVS HVMILITATIS
Lapides Fundamentales.

PRÆFVNDAMENTO firmiter stabilito, Lapidēs Fundamentales, qui sunt actus Humilitatis, illi imponit facer Architectus Ut sint in promptu numeris arithmetici designabo præcipuos. I. est VILIPENSIO, CONTEMPTUS sui. Nam ex Notitia sua oritur, ut quis se, quoad ea, quæ ex seipso habet, nihil æstimet. II. *Æstimatio suorum depressa.* Reputat enim se omnibus DEI bonis indignū, & ad omnia ineptum, idq; sine falsitate, ut docet S. Thomas 2, 2. q. 161. art. 6. ad 1. Siquidem talis est secundum ea, quæ ex seipso habet. III. *Despectus laudis & gloria.* Humilis namque veritatis amore impulsus non cupit ab aliis magni æstimari, vel laudari, quia videt id sibi neutiquam congruere, sed ei à quo omne bonum accepit. Quare usurpat illud Apostoli: *Regi Seculorum Immortali, & Invisibili Honor & Gloria.* Certè, non imago aut pictura laudem meretur, sed pictor: nec olla, sed figulus. IV. *Desiderium contemptus.* Optat haberi vilis, qui verè est Humilis, & ab aliis contemni. Talem enim cupit se ab aliis æstimari, qualem se veritatis sententia, & in oculis DEI novit esse. Rectè S. Bernardus: Ser. 16. in Cant. *Verus humilis vilis vult reputari, non humilis predicari: gaudet contemptu sui: hoc solo sanè superbus, quod laudes contemnat.* Quantum nimirum in ipso est: nam non semper expedit, ut alii nos nihil æstiment propter ædificationem & fructum aliorum, ut alibi monet idem Sanctus. V. *Dolor de honore sibi*

exhibito. Humilis dolet, si se videat magni fieri: nec illum honorem in animo sibi attribuit: immò, nec admittit, nisi fortè ratione officii, aut doni quod habet: atque ita illum in DEUM tacitè saltem & implicitè refert. VI. *Dejectio voluntaria* infra omnes: scilicet dum in se defectus, in aliis perfectionem considerat. VII. *Subjectio infra DEUM demississima.* Infra homines quoq; propter DEUM, finens se ab iis, tanquam DEI instrumentis gubernari, secundum Apostoli Petri præceptum: 1. Petri 2. *Subjecti estote omni humanae creaturae propter DEUM, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam à DEO missis. quia sic est voluntas DEI.* VIII. *Electio vilium* in exterioribus. Eligit humilis id quod abjectius: locū inferiorem in confessu, latus sinistrum in congressu, socios quibus cum agat abjectiores, officia minus honorata, vestes magis detritas ac simplices, supellectilem vulgarem, atq; ita in aliis quibuscumque: servata tamen decori ratione in usu, quam personæ & officii conditio exigit.

ARTICULUS IX.

Partes Fundamenti, quod est

HVMILITAS.

FVNDAMENTVM istud ex duabus partibus componere videtur S. Bernardus: unam vocat *Humilitatem cognitionis* vel iudicii: alteram *Affectus*. Ser. 42. in Cant. Est, inquit, *Humilitas, quam nobis veritas parit. & non habet calorem: & est Humilitas, quæ caritas format, & inflammat: atque hac quidem in affectu, illa in cogitatione consistit.* Etenim tu si te metipsum intus ad lumen veritatis, & sine dissimulatione inspicias, & sine palpatione dijudices, non dubito quin humiliaris, & in oculis tuis factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui: quatinus necdum fortasse id esse patiaris in oculis aliorum. Eris igitur Humili,


milis, sed de opere interius veritatis. & minimè adhuc de operis infusione. Nam si veritatis ipsius, qua te tibi veraciter, atque salubriter demonstravit, sicut splendore illuminatus, ita amore affectus fuisset; voluisses procul dubio, quod in te est eadem de te omnes tenere sententiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis. At sunt aliqui, qui unam solùm Fundamenti partem ponunt, sola iudicii, seu veritatis Humilitate cõtenti: quos tanquam Architectos minus peritos arguit, & graviter incepat, ita reprehendens: *Pondus & pondus abominatio est apud DEUM. Quid enim? Tu te depreciaris in secreto. apud te ipsum, veritatis trutina ponderatus: & foris alterius preii mentis, majori de pondere vendis nobis, quam ab ipsa accepisti. Time DEUM, & noli hanc rem pessimã facere, ut quæ humiliat veritas extollat volũtas: hoc enim est. resistere veritati, hoc pugnare cõtra DEUM.* Ex his collige, Humilitatẽ Aff. ctus dici, quã quis ab aliis se vult haberi, qualẽ corã DEO se agnoscit: Iudicii, quã agnoscit se vilem coram DEO, & in abscondito se talem reputat, unde nõ omnem affectum excludit, sed coram hominibus ita vilis haberi non appetit, ideoque affectũ tam extensivè efficacem adjunctum non habet.

HACTENUS autem, quæ de HUMILITATE differvimus, satis ostendunt, illam esse Ædificii spiritualis Fundamentum stabile; ejus Præfundamentum rectè dici Notitiã sui. Quæ, ut sit perfecta, postulat comitem, cognitionem DEI, quæ fons est caritatis. Ex quo fit, ut conjunctissimæ sint, Humilitas & Caritas: sicut divorcium esse nequit inter cognitionem sui, & cognitionem DEI. Humilitas enim consequitur cognitionem sui, Caritas cognitionem DEI. Itaque aptissimè cum humillimo Doctore Augustino exclamet quilibet cum affectu.

Noverim Me - Noverim Te.


Vt amem Te - Vt contemnam Me.

NO-



NOTÆ.

MULTI scripserunt de Humilitate: quilibet ad suum institutum accommodatè. Mihi tractanti Architecturam Christianam, propositum fuit, declarare analogiam, inter Humilitatem & Fundamentum Ædificij, ut sic constituatur apud Fundamentum Domus Sapientia seu Virtutum omnium. Scriptores alios consule per otium, nullo hic precipuos. S. Thomas 2. 2. quæst. 161 ubi Caietanus, Valentia, alijq; commentatores. Leonardus Lessius lib. 4. de Iustit. cap. 4. Dub. 7. Bernardinus Resignolius lib. de Actib; Virtut, Ioannes Buleus in Viridario. tit. Humilitas. Franc. Arias de Profectu spirituali agens fusè de Humilitate B. M. V. Alvarez de Pai Tom. 3. de perfect. vita spirit. Roa lib. 4. Singularium à cap. 2. Delrio in Speculo Mariane lectione 7. & in Threnos Ieremia & in Adagiis. 8. Tom. 1. & 718. in seq. Antonius Dauraultius in Catechismo histor. cap. 7. Tit. 30. Speculum Exempl. Tit. Humilitas. Alphonfus Rodericius in Exercitio Perfectionis & Virtutum Christianarum. Tractatu 3. de Humilitate, ubi cap. 2. inscribitur: Humilitatem esse ceterarum Virtutum Fundamentum. Cap. 3. Specialius exponitur, omnium Virtutum Humilitatem esse Fundamentum, enumeratis precipuis, ad praxim accommodatè. Cap. 5. de Primo gradu Humilitatis, qui est, parui se sentire, humiliter de se sentire. Cap. 13. de Secundo Humilitatis gradu, qui est, desiderare parui fieri. Cap. 14. de Tertio, qui est, non letari, dum laudatur, & aestimatur. Cap. 15. de Quarto, qui est, velle contemni, & pendere ideoque gaudere. — Sequuntur alia ad praxim utilia.



TIMOR